MASTER NEGATIVE NO. 93-81310-21

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

KRAMER, GEORGE

TITLE:

THEOLOGUMENA APPIANI

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

1889

Master Negative #

93-81310-21

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88Ap8
Z8
v.2

Kramer, Georg.
Theologumena Appiani. Dissertatio inauguralis philologica quam scripsit ...Georgius Kramer ... Vratislaviae, typis G. Hoyeri & soc., [1889].
73 p. 23 cm.

Thesis. Breslau. 1889.

Vol. of theses.

534168

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-21-93 INITIALS M.P.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202



Centimeter



Inches





MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 3

THEOLOGUMENA APPIANI.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA,

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XV. M. QUINTILIS MDCCCLXXXIX, HORA XI.

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

GEORGIUS KRAMER

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

BRUNO PHILIPP,
CAND. PHIL.

GEORGIUS BECKER.
STUD. PHIL.

VRATISLAVIAE

TYPIS G. HOYERI & SOC.

K.m. 9e 1, 1920

MATRI MEAE

CARISSIMAE

S.

Praefatio.

Priusquam ad ipsam huius libelli causam transeam, nonnulla praefari mihi liceat. Consilio enim capto de Appiano agere in animo habebam complecti, quidquid aut ad divinas aut ad humanas res pertineret, ita ut primum, quid de deorum natura, deinde, quid de virtutibus et vitiis, postremo, quid de re publica Appianus sensisset, exponere cogitarem. Sed quicunque historias ab eo scriptas diligentius perlegerit, illa dispositione me destitisse ignoscet. Nam de virtutibus aut vitiis iudicare Appianus non solet, sed ea ipsa, quae acciderunt, narrare. Si quando aut laudat aut reprehendit, de talibus rebus sermo est, ut nemo honestus oblocuturus sit. Sic acriter pugnantium fortitudo nonnumquam celebratur:

Hannibalis et Scipionis exercitus ad Zamam congressi splendidam virtutem praestiterunt. cf. Pu. c. 44: *δύο δὲ στρατηγῶν ἀρίστων ἐς ἀγῶνα συνιόντων, ἔρις ἦν τῶν ὑφ' ἑκατέρῳ λαμπρὰ . . . .*

Hasdrubal laudatur Pu. in c. 102: *καὶ ὁ Ἀσδρούβας καθορῶν ἐπέκειτο λαμπρῶς τότε μάλιστα, ...*

Parva Numantinorum civitas summo libertatis amore flagrabat. cf. Hisp. c. 97: *τοσόσδε ἔρως ἐλευθερίας καὶ ἀνδραγαθίας ἦν ἐν πόλει βαρβάρῳ τε καὶ σμικρᾷ.*

Cum alias virtutes tum amorem fidemque affinium et servorum erga cives proscriptos Appianus miratur. Cuius rei quamvis multa exempla exstent B. C. IV. in c. 17.—51., tamen haec verba sufficiant: cf. B. C. IV. c. 36: *φιλανδρίαι τε παράδοξοι γυναικῶν ὤφθησαν, καὶ παίδων ἐς πατέρας εὔνοιαι καὶ θεραπόντων ὑπὲρ φύσιν ἐς δεσπότας.*

Contra vituperantur Illyriorum et Gallorum libido impietasque. cf. Illyr. c. 5: *τοιοῦτον μὲν δὴ τέλος τῆς ἀσεβείας ὁ θεὸς ἐπέθηκεν Ἰλλυριοῖς τε καὶ Κελτοῖς· . . . .*[1])

Perfidum se praebuit Papirius Carbo impetu in Teutonos facto. cf. Celt. fr. 13: . . . . *τοῖς Τεύτοσαν ἐμπεσών, ἔδωκε δίκην ἀπιστίας*[2]), *πολλοὺς ἀποβαλών.*

Multis Romanis a tribus viris proscriptis magna scelera milites committebant. cf. B. C. IV. c. 35: *ἐκ μὲν δὴ τῶν προσταγμάτων τοιαῦτα Ῥωμαίους ἐπεῖχεν, ὁ δὲ στρατὸς σὺν καταφρονήσει χείρονα ἐποίουν.*

Neque desunt aliae eiusmodi laudes et vituperationes, ut nemo probus dissentiat. Sed desiderantur ea morum iudicia subtilia, quae diligentiorem deliberationem habeant. Quae cum ita sint, meum non putavi vulgares honestarum et turpium rerum sententias proferre, praesertim cum, quae praetermittenda non erant, ut quid de Caesaris caede Appianus sentiret, alio loco tractari facile possent.

At opinio est ad mores aequalium corrigendos Appianum vel maxime spectasse[3]). Equidem ut persuadere mihi non possum id Appianum studuisse, ita illo argumento non refutantur, quae modo explicuimus. Nam quo clarior virtus aut quo turpius scelus animis opponitur, eo maiorem admirationem aut indignationem eorum, qui legunt, excitari necesse est. Itaque, si modo moribus aequalium emendandis Appianus operam dabat, manifestissima exempla maxime idonea erant.

Quod separatim non tractavi, quae ad rem publicam pertinent, iure fecisse mihi videor. Raro enim talia tetigit Appianus, neque, quae inveniuntur, alio loco inseri

[1]) Deum sacra sua ipsum defendisse tradit et Justinus (cf. XXIV. c. 8) et Pausanias (cf. X. c. 23.) Sed et illa Appiani verba desunt et alia aliter narrantur.

[2]) Quisquis alius haec narrat, hac sententia caret. cf. Liv. Epit. 63. Strab. V. p. 214. Vell. II. c. 12.

[3]) cf. Hermann Ulrici: Charakteristik der antiken Historiographie. Berlin 1833. p. 242. — Cuius opinionem reiecit F. D. Gerlach.: Die Geschichtschreiber der Römer. Stuttgart 1855. in p. 219: „Was man von einer moralisirenden Tendenz hat finden wollen, tritt im Gegenteil bei diesem Schriftsteller weniger als bei andern hervor."

non possunt, ut principatus laus, divina eiusdem origo, philosophorum inertia.

His omnibus rebus adductus, quod primo proposueram mihi, non tenui; nec quae de virtutibus vitiisque nec quae de re publica Appianus dicit, copiose disserui, sed consilio mutato totum libellum „Theologumena Appiani" inscripsi.

Qua ratione cum minuta esset materia, alia mihi crevit. Neque enim sufficere unius Appiani mores atque indolem depingere facile intellexi. Immo quoniam cuiuslibet et rei et hominis natura, nisi cum aliis comparatur, plane non perspicitur, etiam Appiani animum comparatione illustrare opus est. Itaque non modo eos, qui antea fuerunt, rerum scriptores, sed etiam aequales conferendos adhibui, si non multos, at tamen gravissimos. Imprimis vero eos respexi, quos cum alii posteriorum temporum historici imitandos sibi proponebant, tum Appianus satis cognitos habebat, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem. Quos imitatione dignissimos illius aetatis scriptoribus visos esse cum alii recte confirmaverunt tum A. Zerdikus.[1]) Praeter eos Polybius et Dionysius Halicarnassensis, gravissimi Appiani auctores,[2]) et Plutarchus, clarissimus aequalis, omittendi non sunt.

Ut discernatur, quae sententiae Appiani et quae aliorum sint, opus erat, auctores eius etiam singulis locis respicere. Tamen nisi ad religionem pertinebant, adhibendos eos non putavi,

[1]) cf. Quaest. Appian. Kiel. 1886; p. 2. — Herodotum Appiani animo interdum obversatum esse ostendit etiam Wyttenbach.: Bibl. crit. Amstelodami. 1787 vol. III., partis I. in p. 95. — De Appiano, Thucydidis imitatore, cf. Poppo in Thuc. ed. Lipsiae. 1821: I, 1. p. 370 et Zerdik: l. l. p. 4. — Xenophontis imitator vocatur Appianus ab Eggero. cf.: Examen critique des historiens anciens de la vie et du règne d'Auguste. Paris. 1844. p. 311: Appien lui-même, heureux imitateur de Xénophon. . . .

[2]) cf. B. Fahland: Appianum in bello Punico tertio describendo auctoritate usum esse Polybii. Gryphiswaldiae. 1867. — Idem scripsit: Quomodo Appianus in historia belli contra Antiochum Magnum gesti auctoritate Polybii usus sit. Greiffenberg. 1872. De Dionysio cf. Espersen: Indbydelsesskrift til den offentlige Examen i Metropolitanskolen i Juli 1851. 1: de excerptis et fragmentis aliquot Appiani commentatio . . . . Kjobenhavn. p. 5. et Hannak: Appianus und seine Quellen, Wien. 1869. pagg. 67. 75. 102.

ut investigetur, iudiciumne Appiani sit concors concinnumque an ex fontibus, qui quod maxima ex parte perierunt dolendum est, translatum. Concinnitatem demonstrasse mihi videor; nam conferatur, quae de fortuna et de iustitia divina et de favore a deis imperio Romano semper tributo Appianus senserit. Ea per omnes libros persequi possumus, ut non sit dubium, quin Appianus ratione quadam consilioque historias scripserit. Age vero ad singula aggrediamur, sed ita, ut breviter complectamur, quae infra copiosius explicavimus. Quae in universum de philosophis in Mithrid. c. 28. dicuntur[1]), ex Appiani animo fluxisse patet, praesertim cum praesentia tempora (*καὶ νῦν*) ibi tractentur. Deinde divinam principatus originem et prosperam illius aetatis pacem[2]) Appianus una cum plurimis aequalibus miratus est, non descripsit. In priore capitis secundi parte, quae est de nominibus deorum, nonnulla Appiani non propria offendimus. cf. Ital. fr. 8. *σημείων γενομένων ἐκ Διὸς ἀηδῶν* et similia verba in Hannib. c. 56. — Sed si similitudinem Alexandri et Caesaris ea re confirmat, quod uterque Iove ortus sit,[3]) famam vulgarem comparatione ipsa accipit. — Iunonis fabulam[4]) sine sua opinione refert, sed Apollinis iram[5]) memorabilibus verbis ornat: *τοσοῦτον μὲν δὴ τέλος τῆς ἀσεβείας ὁ θεὸς ἐπέθηκεν* . . Quod Faunus simpliciter appellatur Martis filius,[6]) non magnum est, si spectamus ad Veneris ultionem[7]). Nam hac verborum compositione: *καὶ φθίνων ἐτελεύτησε* Appianus, quid ipse sentiat, aperte ostendit. Eiusdem sunt, quae legimus in Celt. fr. 6. de Vestae sacerdote: *ὑπ' αὐτῶν ἐσώζετο τῶν ἱερῶν.* — Communia deorum nomina[8]) plurima in bellorum civilium historia inveniuntur, cuius fontes servati non sunt. Ex aliis libris Pu. c. 132. commemoro, cuius verba *καὶ πόλεις . . . δεῖ μεταβαλεῖν ὥσπερ ἀνθρώπους δαίμονα* etiam in Polybii historia exstant.[9]) — Tertio capite agitur de patefacta deorum voluntate. Quae de fabulis, oraculis, prodigiis narrantur, omnia ex fontibus fluxerunt. Neque vero contemnenda sunt, quod tantam eorum rationem Appianus

[1]) cf. p. 15. sqq. — [2]) cf. p. 17. sqq. — [3]) cf. B. C. II. c. 151. — [4]) cf. Mithrid. c. 101. — [5]) cf. Illyr. c. 4. et 5. — [6]) cf. de reg. fr. 1. — [7]) cf. Syr. c. 66. — [8]) cf. p. 21. sqq. — [9]) cf. p. 23.

habebat; deinde auctoritas interdum aut breviter verborum compositione illustratur aut copiose demonstratur.[1]) — Altera tertii capitis parte fortunae vis explicatur. Ubique eandem eius opinionem Appianus tenet. Quamquam nonnullis locis pervulgata protulit. Dico felicitatem continuam Scipionum, Sullarum, Caesarum, Augustorum; tamen non tam nota accipit, quam vere miratus est. Deinde Caesaris caedem deorum iram excitasse adeo, ut non prius quiescerent, quam nemo interfectorum superesset, Appianus non primus praedicavit.[2]) Sed infra cognoscemus animo eum percepisse et suo modo effinxisse. — Eorum locorum, qui pertinent ad *θεοβλάβειαν*, nullus nisi B. C. II. c. 84. cum Plutarcheo quodam paulisper consentit. Maior est ea similitudo, ubi de Aemilio Paullo et deorum invidia agitur, quod infra accuratius monstrabitur. Sed gravissima eius loci verba Appianus solus exhibet et aliter composuit communem sententiam. — In orationibus[3]) alii scriptores adhiberi fere non possunt. Duobus locis nota verba Appianus repetivit.[4])

Philosophorum praecepta fere numquam perstrinxit. Tamen dubium non est, quin nobiliorum ordinum homines, in quibus etiam Appianus numerandus est, magnas philosophorum sectas non omnino neglexerint. Neque vero praeter Mithrid. c. 28., quod caput postea copiosius tractabo, ulla philosophiae vestigia in Appiani historia patent. Copiosius autem tractabo illud, etsi non ignoro Naegelsbachium philosophorum opiniones inter ea, quae ad religionem pertinent, non excepisse.[5])

Tantam philosophiae contemptionem ut intellegamus, rhetoricae arti Appianum potius studuisse reminiscamur. Quod cum aliunde tum ex magno orationum, quae insertae sunt, numero elucet. De quibus ultima parte separatim egi his causis commotus: Quamvis multi de scriptorum opinionibus libros scriberent, vix quisquam satis respexit et segregavit

[1]) cf. Syr. c. 63.; B. C. I. c. 104.; B. C. II. c. 149., c. 153. — [2]) cf. B. C. II. c. 154. — [3]) cf. c. IV. — [4]) cf. B. C. II. c. 57. et B. C. IV. c. 134. — [5]) cf. Nägelsbach: Die nachhomerische Theologie . . . Nürnberg. 1857. praef. p. VI.

ea, quae ipse scriptor sentiret, et, quae alios loquentes faceret. Quamquam non nego etiam in orationibus scriptoris ipsius opiniones interdum exstare, tamen hoc contendo orationes esse fontes incertos neque idoneos, ex quibus eius morum et indolis cognitionem hauriamus. Quantum autem differant a ceteris historiae Appiani partibus orationes, infra ostendemus.

Caput I.

De generali Appiani indole.

Initio opus est de vita Appiani ac temporibus pauca referre. Natus est Alexandriae.[1]) Vitam agebat imperatoribus Traiano, Hadriano, Antonino Pio regnantibus.[2]) Quodsi Hannakus[3]) dicit inter annos nonagesimum et centesimum quinquagesimum p. Ch. n. fere fuisse eum, eo magis assentimur, quod tota historiarum condicione illa aetas indicatur. Qua splendidiorem Romani vix umquam viderunt. Nam cum ultimis liberae rei publicae temporibus propter assiduas domesticas turbas, tumultus civiles, impunitam licentiam mores vehementer corrupti ac depravati essent, ut scelerum impudentissimorum aspectu fiducia iustitiae divinae plerumque perisset, tum ordine restituto magna atque manifesta animorum commutatio facta est. Quam bene describit Volkmannus[4]): „Sie gaben sich rückhaltslos der freudigen Stimmung hin, welche das Glück der Gegenwart ihnen bereitete und legten kräftig Hand mit an, die alte Welt wieder herzustellen, die bereits vorhandenen Spuren ihres Verfalles zu beseitigen, und ihrem Jahrhundert den Charakter einer grossartigen Restauration der Ver-

[1]) cf. Prooem. c. 15: *τίς δὲ ὢν ταῦτα συνέγραψα, πολλοὶ μὲν ἴσασι καὶ αὐτὸς προέφηνα, σαφέστερον δ' εἰπεῖν, Ἀππιανὸς Ἀλεξανδρεύς, ...*

[2]) cf. Phot. Bibl. cod. LVII: *Ἤκμασε δὲ ἐν τοῖς χρόνοις Τραϊανοῦ καὶ Ἀδριανοῦ.* — De ceteris locis, quibus Appianus ipse suam aetatem commemorat, cf. Hannak l. l. p. 5. — Hadriani eum superstitem fuisse cognoscitur ex B. C. I. c. 38: *ὃ καὶ Ἀδριανὸς ἄρα μιμούμενος ὕστερον χρόνῳ πολλῷ . . . . ἀνεκαίνισε, καὶ μετ' αὐτὸν ἐπέμεινεν ἐς βραχύ.*

[3]) cf. l. l. p. 6.

[4]) cf. Leben, Schriften und Philosophie des Plutarch von Chaeronea. Berlin. 1869. I, p. 6./7.

gangenheit aufzudrücken.“ Pristina maiorum pietas, quae haud multo ante saepe erat illusa, novam auctoritatem et vigorem nacta est. Imperatores autem ipsi hunc animorum motum excitabant et magna cura augebant.[1])

Propterea Plutarchus, cuius pietas Appiani simillima erat, magna Traiani et Hadriani familiaritate utebatur.[2]) Et plebis multitudinem et nobiles id studium tenebat; quod demonstratur cum aliorum exemplis tum Arriani, Plutarchi, Pausaniae, Appiani. Hunc fuisse ordine nobilissimo vel inde cognoscitur, quod Aegypti patriae procurator erat auctore Frontone, quem amicum habebat.[3]) cf. Prooem. c. 15. . . *μέχρι με σφῶν ἐπιτροπεύειν ἠξίωσαν.*[4]) Ut tantam dignitatem

[1]) cf. Hertzberg: „Die Geschichte Griechenlands“. II. Halle. 1868. p. 477: „Die Pflege und Neubelebung einer künstlichen Orthodoxie durch Hadrian“ . . „ p. 478: „Der neue Aufschwung des alten Kultus unter und durch Hadrian und die Antoninen . . . . .“

[2]) cf. Hertzberg. l. l. p. 183.

[3]) cf. M. Cornelii Frontonis op. ined., quae edidit Angelus Maius Francofurti ad Moenum anno MDCCCXVI., p. 426.—451. Ibi invenimus duas epistulas, alteram ab Appiano, alteram a Frontone scriptam. cf. etiam epistulae Frontonis ad Antoninum Pium datae haec verba: (in p. 28.) Supplicavi tibi iam per biennium pro Appiano, amico meo, cum quo mihi et vetus consuetudo et studiorum usus prope cotidianus intercedit. . . . . et in p. 29: Cum primum pro Appiano petivi, ita benigne admisisti preces meas, ut sperare deberem.

[4]) Quae verba aliter intelleguntur ab Eggero l. l. in p. 244: „Est-il possible, en effet, qu 'une des plus importantes charges de l'empire ait été accordée comme retraite à un vieil avocat, causidicus, car c'est le mot de Fronton parlant des ambitieux que l'exemple d'Appien pourrait encourager à la même demande auprès de l'empereur. La charge obtenue par Appien était donc une procuration et non une préfecture. Maintenant dans quelle province fut envoyé le protégé de Fronton? On l'ignore.“ — Similia dicit Nipperdey: Opusc. Berolini. 1877. in p. 590: „Appianus historicus . . . . non administravit munus procuratoris, sed honorem tantum consecutus est. — Contra Eggerum repeto, quae Schweighaeuserus confirmavit in edit. vol. III. p. 135: . . . . provinciis . . . . . Equites Romani praefecti sunt; qui promiscue Procuratores et Praesides provinciarum (*ἄρχοντες, ἡγεμόνες, ἐπίτροποι, ἐπιτροπεύοντες*) dicti sunt.“ Quod idem satis multis testimoniis demonstravit. Etiam ceterae dubitationes a Schweighaeusero sublatae sunt. Jure enim admonuit Appiani verborum, quae leguntur Prooem. in c. 15., *ἐς τὰ πρῶτα ἥκων ἐν τῇ πατρίδι . . . .*

assequeretur, equestri ordine eum esse opus erat.[1]) Atque etiam causis pro tribunali Caesarum agendis per aliquod tempus antea vacaverat, quod eodem Prooemii loco significatur his verbis . . . . *καὶ δίκαις ἐν Ῥώμῃ συναγορεύσας ἐπὶ τῶν βασιλέων* . . . . Itaque non solum in nobilibus, verum etiam in eruditis et urbanis hominibus numerandus est. Nam, ut suis muneribus satis diligenter fungeretur, facere non potuit, quin linguam Latinam, ius Romanum, instituta publica cognita haberet.[2]) Et ad has utiles et ad liberales artes quae vocantur Appiani humanitas pertinebat. Quod historia sua satis probavit. Primum enim orationibus, quas duces et magistratus habentes facit, rhetoricae artis peritum se praestat. Deinde optimorum historicorum Graecorum nisi gnarissimus fuisset, tam saepe eos imitatus non esset. Etiam poetarum mentionem nonnumquam facit, ut Homeri: cf. Mithrid. c. 1 . . . . *ὃν τρόπον Ὅμηρος ἐν τοῖς ἔπεσι φράζει*, ... et Sophoclis: cf. B. C. II., c. 85: *ὁ δὲ Πομπήιος ὑπώπτευε μὲν ἅπαντα*, ... *τοσοῦτο δ' ἐκ τῶν Σοφοκλέους ἰαμβείων πρὸς ἑαυτὸν ἀνενεγκών*, „*ὅστις γὰρ ὡς τύραννον ἐμπορεύεται, κείνου ὅστι δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ*“, *ἐνέβαινεν ἐς τὸ σκάφος*.[3]) De Octaviano colloquente cum matre sollicita haec tradidit Appianus. cf. B. C. III. c. 13: *τά τε τοῦ Ἀχιλλέως, ὑπόγυά οἱ τότε ὄντα μάλιστα, ἐς τὴν μητέρα ὥσπερ ἐς τὴν Θέτιν ἐπιστρεφόμενος ἔλεγεν, „αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ κτεινομένῳ ἐπαμῦναι“*.[4]) Scipio in Carthaginis ruinis moratus claros

[1]) cf. Schweighaeuser: l. l. p. 135. — Hannak: l. l. p. 8.

[2]) cf. Schweighaeuser: l. l. p. 134. — Hannak: l. l. p. 8, 9. — Neque vero concedo, quod Niebuhr: Histor. u. philol. Vorträge. 1. Abtheiluug: Vortr. über röm. Gesch. Herausgeg. v. M. Isler. 1. Band. Berlin. 1846. in p. 60 contendit: „Obgleich er lange in Rom gelebt hat und sich viel mit seinem latein weiss, so ist doch nicht zu schliessen, dass er dieser Sprache sehr mächtig war, da bei Hadrians Vorliebe für das Griechische er gewiss griechisch plädiren durfte, zumal für die transmarini.“

[3]) cf. Soph. fr. 711 D., fr. 788 N. — Eosdem versus referunt Plutarch. Pomp. in c. 78., Dio XLII. in c. 4. cf. Schweighaeuseri ed. III. p. 767.

[4]) cf. Hom. Il. XVIII. v. 98. 99., ubi exstat *ἐπαμῦναι*. Illo loco codices habent *ἐπαμύνειν*. — Schweighaeuser in ed. III. p. 795. coniecit scribendum esse *ὥσπερ ἐκεῖνος ἐς τὴν Θέτιν*, et sic vertit Candidus. Tamen neque id opus est, neque, quod Mendelssohn voluit: *ὥσπερ ἔς τινα Θέτιν*. cf. eius editionis vol. II. p. 850.

illos Homericos versus pronuntiat: „*ἔσσεται ἦμαρ ὅταν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρὴ καὶ Πρίαμος καὶ λαὸς ἐυμμελίω Πριάμοιο*“. cf. Pu. c. 132. Quorum versuum etsi plurimos apud auctores suos Appianus repperit, poëtarum aliquam cognitionem ei addicere licet. Aliis ex exemplis eundem fabularum antiquarum peritum fuisse cognoscimus. —

Sed quamvis bene instructus litteris esset, nec deorum vulgatam opinionem nec sacra publica despexit, sed vera pietate fuit. Qua re valde differebat a Polybio et Cicerone, ut his duobus priorum temporum exemplis utar; ii enim, quamquam maiorum religionem cultumque parvi faciebant, tamen multitudinem caecitate quadam animorum teneri opus esse existimabant.[1]) Talia Appianum sensisse nullo vestigio comprobatur. Immo numini divino, portentis, oraculis reverentiam summam praestabat. Adde huc, quod sacra a ducibus aut ab aliis per occasionem facta mira quadam constantia, ne dicam diligentia, commemorat, etiamsi ne minimum quidem ad res gerendas valent.

cf. Hisp. c. 23., ubi de Scipione agitur: . . . . *ἔθυε τῆς ἐπιούσης καὶ ἐθριάμβευε*, ... ibid: *ἡ μὲν δὴ πόλις ἔθυεν* . . . . c. 26: *Σκιπίων· θυσάμενος δέ, καὶ εὐθὺς ἐπὶ ταῖς θυσίαις τὴν στρατιὰν ἐς ἐπήκοον ἐλάσας*, ..., c. 57: . . . . *τὰ λοιπὰ τοῖς θεοῖς τοῖς ἐνναλίοις ἔκανσεν*.

Sed quod longum est verba ipsa semper proferre, capita, quibus exempla continentur, enumerem: Pu. c. 13. 21. 29. 75. 133. 135. — Maced. c. 19. — Syr. c. 20. — Mithrid. c. 45. 66. 70. 83. — B. C. I. c. 26. — B. C. II. c. 68. 88. 115. — B. C. III. c. 11. 49. 65. 74. 94. — B. C. IV. c. 23. 89. — B. C. V. c. 3. 4. 46. 96. 97. 98. 100.

Licet cuipiam exemplorum numerus pro librorum numero et magnitudine non ita magnus esse videatur, tamen quid volunt brevissimae illae notae, quas, si deessent, nemo desideraret? Non alia causa nisi religione commotus Appianus

[1]) cf. Döllinger: Heidenthum und Judenthum. Regensburg. 1857. p. 571./572. — W. Markhauser: Der Geschichtsschreiber Polybius. München. 1858. p. 130. — Zeller: Die Philosophie der Griechen. Tübingen. 1880. III[2]. 1. p. 666./667 et p. 667. not. 1.

addidit. Nam sacrificia ipsa satis gravia atque digna, quibus semper locus in historia scribenda daretur, iudicabat.

Eadem pietate erat erga sacerdotes, sacra loca, sacra instrumenta. Itaque Caesaris caedes eo magis nefaria ei videbatur, quod, cum scelus committeretur, ille et sacerdos erat et sacro loco versabatur. cf. B. C. II. c. 118: *ἐκτελεσθέντος δὲ τοῖς φονεῦσι τοσοῦδε ἄγους ἐν ἱερῷ χωρίῳ καὶ ἐς ἄνδρα ἱερὸν καὶ ἄσυλον, φυγή τε ἦν . . . .*

ἄγος, i. e. sacrum scelus, idem facinus nominatur etiam B. C. IV. in c. 134: . . . . *αὐτοῖς ἀντίθετον ἐς ἅπαντα ἦν τὸ ἄγος τὸ ἐς Καίσαρα.* — Pro tanta pietate in plurimis rebus dei voluntatem ostendere Appianum neque est mirum et infra amplius explicabitur.[1])

Age vero, quid de philosophia Appianus dixerit, contemplemur. Si eorum philosophorum, qui post Aristotelem fuerunt, hoc commune est novas rationes et praecepta non multa existere[2]) et potius ea, quae ad bene beateque vivendum pertineant, explorari et pietatem multo magis quam antea coli[3]), si verum extra doctrinam litterasque quaeri coeptum est[4]), eadem in Appianum cadunt. Ea enim, quae ad physica aut ad dialectica aut ad alia subtiliora spectant, ne perstringit quidem. Atque etiam, quae morali philosophiae parte continentur, ut divini numinis, iustitiae, infirmitatis humanae opiniones non magis philosophi quam pii hominis sunt.

Magna gravitate est Mithrid. c. 28., quo uno apertius atque copiosius de philosophia vel de philosophis Appianus loquatur. Ibi autem agitur de Aristione Atheniensi, qui a Mithridate steterat et ab eo adiutus Athenis rerum potitus

[1]) cf. c. III. — Gerlach: (Die Geschichtschreiber der Römer) a nobis dissentit, cum dicit in p. 219: . . . . . die Einwirkung der Gottheit, die allerdings bei allen bedeutenden Ereignissen bemerklich gemacht wird, stellt sich weniger als persönliche Ueberzeugung denn als allgemein übliche Ausdrucksweise heraus.“ Quod nego. Nam non tam communi usu adductus quam quod ipsius et totius aetatis indoles eo inclinabat, pleraque ad numen divinum rettulit.

[2]) cf. Zeller. l. l. III[2]. 1. p. 18. — [3]) cf. ibid. p. 17. — [4]) cf. ibid. p. 23.

erat. Qua potentia crudelissime usus erat: . . . . *καὶ ταῦτα μέντοι σοφίαν τὴν Ἐπικούρειον ἠσκηκώς. ἀλλὰ γὰρ οὐχ ὅδε μόνος Ἀθήνησιν, οὐδὲ Κριτίας ἔτι πρὸ τούτου, καὶ ὅσοι τῷ Κριτίᾳ συμφιλοσοφοῦντες ἐτυράννησαν, ἀλλὰ καὶ ἐν Ἰταλίᾳ τῶν πυθαγορισάντων καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ Ἑλλάδι τῶν ἑπτὰ σοφῶν λεγομένων ὅσοι πραγμάτων ἐλάβοντο, ἐδυνάστευσάν τε καὶ ἐτυράννευσαν*[1]) *ὠμότερον τῶν ἰδιωτικῶν τυράννων, ὥστε καὶ περὶ τῶν ἄλλων φιλοσόφων ἄπορον ποιῆσαι καὶ ὕποπτον, εἴτε δι᾽ ἀρετήν, εἴτε πενίας καὶ ἀπραξίας τὴν σοφίαν ἔθεντο παραμύθιον,*[2]) *ὧν γε καὶ νῦν πολλοὶ ἰδιωτεύοντες καὶ πενόμενοι, καὶ τὴν ἀναγκαίαν ἐκ τῶνδε σοφίαν περικείμενοι, τοῖς πλουτοῦσιν ἢ ἄρχουσι λοιδοροῦνται πικρῶς, οὐχ ὑπεροψίας πλούτου καὶ ἀρχῆς δόξαν σφίσι μᾶλλον ἢ ζηλοτυπίας ἐς αὐτὰ προφέροντες.*[3]) *ὑπερορῶσι δ᾽ αὐτῶν οἱ βλασφημούμενοι πολὺ σοφώτερον.*

Simili modo eadem narrantur a Posidonio[4]): *καὶ μετ᾽ οὐ πολλὰς ἡμέρας τύραννον αὐτὸν ἀναδείξας ὁ φιλόσοφος καὶ τὸ τῶν Πυθαγορικῶν ἀναδείξας δόγμα περὶ τῆς ἐπιβουλῆς καὶ τί ἠβούλετο αὐτοῖς ἡ φιλοσοφία, ἣν ὁ καλὸς Πυθαγόρας εἰσηγήσατο* . . . . Ad haec si Jordanus[5]) adnotat: „Posidonio igitur auctore videtur Appianus acerbum illud de philosophis fecisse iudicium“ illis Posidonii verbis Appianum impulsum, quid ipse arbitraretur, exposuisse concedo; sed Posidonii magis quam suam opinionem eum expressisse nego.

Ac primum quidem hoc capite Appianus unum quendam

[1]) *ἐτυράννευσαν* scribo cum optimis codicibus. Schweighaeuser et Mendelssohn codicem Parisiensem 1681 secuti scripserunt *ἐτυράννησαν*, quod paullo ante *ἐτυράννησαν* omnes codices praebent. At cum et forma *τυραννέω* et *τυραννεύω* a scriptoribus Graecis usurpata sit, non est, cur alteram praeferamus. Deinde nescio an *ἐδυνάστευσαν*, quod praecedit, verbo commotus Appianus praetulerit formam *ἐτυράννευσαν*.

[2]) haud scio an verba corrupta sint. Nauck coniecit scriptum fuisse *εἴτε δὴ ἀρετὴν* (*ἐζήλωσαν* vel quid simile).

[3]) cf. Schweighaeuseri ed. vol. III. p. 609: „Si vera est haec scriptura, *προφέροντες σφίσι δόξαν* idem videri poterit ac *φέροντες σφίσι δόξαν*: nisi exponere malis prae se ferentes, quod tamen cum vocab. *δόξαν* minus congruere videtur.“ — Acute commendavit Musgravius *προσφέροντες*.

[4]) in fr. apud Athen. V. p. 213. cf. Müller. fr. hist. Graec. III. p. 270.

[5]) De fontibus Appiani in bellis Mithridaticis enarrandis diss. inaug. Gottingae. 1872. in p. 36./37.

Epicureum, deinde aliquo modo universos Epicureos reprehendit. Nam hi philosophi, ne animi tranquillitatem turbarent, publicis magistratibus potissimum se abstinebant. cf. haec verba: *ἀπραξίας — ἰδιωτεύοντες — ὑπεροψίας ἀρχῆς.*[1])

Sed multo magis hoc capite spectat Appianus ad Stoicos, qui inter illius aetatis philosophos primum locum obtinebant.[2]) Stoicorum autem praecepta Epicteti verbis *ἀνέχου καὶ ἀπέχου* continentur. Nihil enim bonum eis videtur nisi virtus, nihil malum nisi improbitas. Neque valetudo bona neque divitiae in bonis numeranda sunt. Quod significatur Appiani verbis: *πενίας — πενόμενοι — ὑπεροψίας πλούτου.*[3]) Sed maxime Stoicorum illud refutatur, quo docebant sapientem hominem quamlibet artem pari prudentia ac sollertia exercere posse.[4]) Contra Appianus in ipsis publicis rebus gerendis philosophos inertes et improbos se praebuisse demonstrans Stoicorum praeceptum reicit.

Quod si cetera capitis verba respicimus, philosophi maledici turpesque qui dicuntur non sunt Stoici. Potius meminerimus speciei[5]) eorum, Cynicorum.

Quorum satis magnus numerus in finibus Romanis versabantur.[6]) Multi eorum tanta superbia in nobiles ac reges invehebantur, ut sordidi impudentesque haberentur.[7]) In Cynicos solos haec verba cadunt: *τοῖς πλουτοῦσιν ἢ ἄρχουσι λοιδοροῦνται . . . .* et: *ὑπερορῶσι δ'αὐτῶν οἱ βλασφημούμενοι.*[8])

Quae cum ita sint, nemo miretur philosophiam alias ab Appiano non tangi. Sed etiam aliud eo capite contineri mihi

[1]) cf. Zeller: l. l. III[3], 1. p. 457. et Volkmann: l. l. p. 10.

[2]) cf. Gregorovius: Der Kaiser Hadrian. [3]Stuttgart. 1884. p. 373.

[3]) cf. Zeller: l. l. p. 214. et 215. et 239. not. 4.

[4]) cf. Zeller: ibid. p. 249 sqq.

[5]) Pro auctoritate Stoicorum multo maiore sic dicere mihi liceat, etsi Stoicae sectae origo a Cynica ducenda est. cf. Zeller l. l. p. 13. et 763.

[6]) cf. Gregorovius: l. l. p. 380. et Zeller l. l. p. 764.

[7]) cf. Gregorovius: ibid. et Zeller l. l. p. 765.

[8]) Dixerit quispiam in eo capite omnino nihil esse, quod non in Cynicos conveniat. Nam ii quoque dividebant homines in sapientes et stultos; iidem honores et divitias despiciebant. cf. Zeller l. l. II, 1[3]. p. 259, 267, 269. Sed Stoici illis temporibus tanta erant auctoritate, ut, cum semel de sapientis perfectione ageret, Appianum eos non neglegere necesse esset.

videtur, quamquam pro certo non putaverim: Appiano ipsi Cynicos maledixisse.[1]) Nam unus erat ex illis nobilibus hominibus, honoribus ornatis, divitibus, qui, quamquam philosophiae operam non dabant, tamen summam auctoritatem nacti erant. Quam igitur magnum illorum „vere sapientium“ numerum vehementi invidia incendi necesse erat, quod indignus sibi praeferretur, ut ludibrium contumeliasque in Appianum conferrent! Quod si pravam philosophorum administrationem publicam ostendit, simul defendit se ab iis, qui hominem philosophiae non deditum gravibus muneribus fungi posse negabant. Ex sublimi denique illa contemptione satis intellegitur viri humani et nobilis responsum agrestibus inimicis datum. cf. verba: *ὑπερορῶσι δ'αὐτῶν οἱ βλασφημούμενοι πολὺ σοφώτερον.* Ea, quae modo absolvimus, ad alia iam pertinent, quae fine huius partis tractanda mihi proposui. Quaeritur enim, quid de publicis rebus Appianus iudicaverit.

Ubicunque de iis disserit, fere semper laudat imperii Romani, quae tum erat, condicionem: cf. Prooem. c. 7. *καὶ ἔστι καὶ τοῖσδε τοῖς αὐτοκράτορσιν ἐς τὸν παρόντα χρόνον* (sc. nomen imperatorum) *ἐγγυτάτω διακοσίων ἐτῶν ἄλλων, ἐν οἷς ἥ τε πόλις μάλιστα κατεκοσμήθη, καὶ ἡ πρόσοδος ἐπὶ πλεῖστον ηὐξήθη, καὶ πάντα ἐν εἰρήνῃ μακρᾷ καὶ εὐσταθεῖ προῆλθεν ἐς εὐδαιμονίαν ἀσφαλῆ. καί τινα καὶ τοῖς προτέροις ἔθνεσιν οἵδε οἱ αὐτοκράτορες ἐς τὴν ἡγεμονίαν προσέλαβον, καὶ ἀφιστάμενα ἄλλα ἐκρατύναντο. ὅλως τε δι' εὐβουλίαν τὰ κράτιστα γῆς καὶ θαλάσσης ἔχοντες σώζειν ἐθέλουσι μᾶλλον ἢ τὴν ἀρχὴν ἐς ἄπειρον ἐκφέρειν . . . . .* Sic effertur magnis laudibus imperatorum administratio. Huc adde, quod legimus B. C. IV. in c. 16: *. . . . ὁ θεός, ἐκ πολλοῦ ἄρα ἐς τὴν νῦν καθιστάμενος εὐταξίαν.* et exeunte eodem capite: *. . . . . ἐς εὐδαιμόνισμα τῶν νῦν παρόντων , ... ἀναγράψω.*

[1]) Idem, postquam ipse inveni, repperi in Schweighaeuseri ed. vol. II[1]. p. 609: „Videtur ipse Appianus invidiae nonnullorum, qui Philosophiam profiterentur, fuisse obnoxius.

Octaviani gloria medio fere hoc capite celebratur: *ταῦτα δὲ ἀξιώσει τε τῶν τριῶν ἀνδρῶν, καὶ τοῦ ἑνὸς αὐτῶν μάλιστα ἀρετῇ καὶ τύχῃ, τὴν ἀρχὴν συστησαμένου τε ἐς ἕδραν ἀσφαλῆ καὶ γένος καὶ ὄνομα τὸ νῦν ἄρχον ἀφ' ἑαυτοῦ καταλιπόντος, ἐπιφανέστερα.*

Neque dubitat Appianus principatus originem ad deum ipsum referre[1]); quod et c. 16. verbis, quae modo protulimus, demonstratur et B. C. II. c. 71: *ἀλλὰ τάδε μὲν ᾠκονόμει θεὸς ἐς ἀρχὴν τῇσδε τῆς νῦν ἐπεχούσης τὰ πάντα ἡγεμονίας.*

Facere non possum, quin hic commemorem Taciti diversam opinionem. Qui quamquam concedit praesentium temporum felicitatem[2]), tamen deorum erga imperium Romanum gratiam nequaquam agnoscit[3]). Principatum vero patitur, quod necessarius sit.[4])

Sed redeamus ad Appianum. Etiam totum populum Romanum admiratur. cf. Prooem. c. 8: *ἀρχή τε οὐδεμία προῆλθέ πω μέχρι νῦν ἐς τοσοῦτο μεγέθους καὶ χρόνου.* — Similia legimus in Prooem. c. 11: *τὰ δὲ Ῥωμαίων μεγέθει τε καὶ χρόνῳ διήνεγκε δι' εὐβουλίαν καὶ εὐτυχίαν*[5]), *ἔς τε τὴν περίκτησιν αὐτῶν ἀρετῇ καὶ φερεπονίᾳ καὶ ταλαιπωρίᾳ πάντας ὑπερῆραν, οὔτε ταῖς εὐπραγίαις ἐπαιρόμενοι μέχρι βεβαίως ἐκράτησαν, οὔτε συστελλόμενοι ταῖς συμφοραῖς . . . . ὁμοῦ πάντα ἐπιπίπτοντα οὐκ ἀπέστησε τῆς φιλοτιμίας, ἕως . . . . τὴν ἀρχὴν ἐς*

[1]) cf. Egger: l. l. p. 250. „. . . l' administration impériale, qu' il se représente comme le but auquel tendait la Providence pour le salut de Rome."

[2]) cf. Tac. Agric. c. 3. „non tamen pigebit . . . . memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse." et Hist. I. c. 1.: „quod si vita suppeditet, principatum divi Nervae et imperium Traiani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui, rara temporum felicitate, ubi sentire quae velis et quae sentias dicere licet."

[3]) cf. Hist. I. c. 3: „adprobatum est non esse curae deis securitatem nostram, esse ultionem". ibid. III. c. 72.: „propitiis, si per mores nostros liceret, deis." — Ann. IV. c. 1: „deum ira in rem Romanam, ..."

[4]) cf. Nipperdey: in ed. (Berlin. 1874.) p. XIX.

[5]) Sic scripsi cum Schweighaeusero. Codices habent: *μεγέθει τε καὶ εὐτυχίᾳ διήνεγκε δι' εὐβουλίαν καὶ χρόνον, ...*

τόδε προήγαγον καὶ τῆς εὐτυχίας ὤναντο διὰ τὴν εὐβουλίαν. — Ceterae omnes gentes, Graeci, Macedones, Assyrii, Medi, Persae Romanis inferiores sunt. cf. Prooem. c. 8—10. Hoc modo populi Romani studium, quo est Appianus, cum pietate quadam coniunctum videtur. Principatum enim profitetur a deo institutum esse, quod nos dicimus „von Gottes Gnaden", et opus a deo perfectum hominum opera uso. Quae opinio multum valet ad rerum narrationem et singulorum hominum fatorum; quod postea patebit.[1])

Aliis locis de civitatum formis Appianus non iudicat. Nam quae Dominicus[2]) protulit, iis fides iustitiaque illius tantum illustrantur. Ex nonnullis quispiam Horatianum illud „odi profanum vulgus" cognoverit Ut in Pu. c. 38. de Carthaginiensium plebe haec dicuntur: *οἳ δέ, οἷον ὄχλος, ἀφρόνως ἡγοῦντο . . . .* et despicere videtur urbanam Romae multitudinem: B. C. I. in c. 30: *ὁ δὲ πολιτικὸς ὄχλος ἐβόα . . . .* et B. C. III. in c. 42. de Caesaris copiis seditiosis scriptum videmus: *οἷόν τε ὄχλος ἀνώμαλος, μετενόουν.* Sed haec exempla parvi momenti sunt, quod in cuiusvis partis hominem conveniunt, nisi qui ipse humili plebe ortus est. Maiore gravitate est is locus, quo de Gracchi filii tribuni plebis interitu agitur. cf. B. C. I. c. 33: *οὐδένα ἔτι ὠφελούσης οὔτε ἐλευθερίας οὔτε δημοκρατίας οὔτε νόμων οὔτε ἀξιώσεως οὔτε ἀρχῆς, . . .* - Nam si ne tribunus quidem plebis in libera re publica Romana tuto versatur, quomodo omnino constare potest ordo aut salus? Hoc enim fere modo explenda sententia esse videtur. Tamen hic unus locus non sufficit, quo taedium liberae rei publicae demonstretur; accedit, quod in universum ea civitatis forma ne ibi quidem damnatur. Tale autem taedium in Appiano fuisse, pro principatus studio, quod antea praedicavimus, non negemus.[3])

[1]) cf. c. III.

[2]) de Appiano, rerum Romanarum scriptore Graeco. Confluentiae 1844. in p. 20. sqq.

[3]) cf. B. C. IV. c. 133: . . . . *ὑπὲρ δημοκρατίας, ὀνόματος εὐειδοῦς μὲν ἀλυσιτελοῦς δὲ ἀεί.*

Caput II.

De nominibus deorum.

Age vero universa Appiani indole satis illustrata de singulis rebus nobis nunc est agendum. Initium autem capiamus a nominibus divino numini inditis. Quae sunt aut nomina propria aut communia. Illa saepe leguntur, cum de sacrificiis, templis, cultu divino verba fiunt. Haec omnia ad animum Appiani perspiciendum fere nihil valent, cum scriptor rerum quilibet et pius et impius talia commemorare haud raro debeat. Huc ii modo loci pertinent, quibus ipsius scriptoris opiniones cognoscantur. Sunt autem hi. Nominatur:

Iuppiter: in Ital. fr. 8: . . . . *σημείων γενομένων ἐκ Διὸς ἀηδῶν* . . . . in Hannib. c. 56: *καὶ γιγνομένων ἐν Ῥώμῃ σημείων ἐκ Διὸς φοβερῶν*, ... in B. C. II. c. 151: ubi agitur de Alexandro et Caesare: *καὶ τὸ γένος ἐκ Διὸς ἦστην ἑκάτερος*, ...

Iuno: in Mithrid. c. 101: . . . . *τὸν πόρον* . . . . , *ὃν κληθῆναι νομίζουσι Βόσπορον Ἰοῦς διανηξαμένης, ὅτε βοῦς γενομένη κατὰ ζηλοτυπίαν Ἥρας ἔφευγεν.*

Apollo: in Illyr. c. 4.: *Αὐταριέας δὲ καὶ ἐκ Θεοβλαβείας Ἀπόλλωνος ἐς ἔσχατον κακοῦ περιελθεῖν.* Quamquam hoc enuntiatum pendet ex verbo *φασίν*, quod si non addimus cum Schweighaeusero [1]), at cogitamus, tamen rem accidisse Appianus credit. Nam in c. 5. legimus: *τοιοῦτον μὲν δὴ τέλος τῆς ἀσεβείας ὁ Θεὸς ἐπέθηκεν Ἰλλυριοῖς τε καὶ Κελτοῖς* . . . .

Mars: de regib. in fr. 1.: *ἦρχε τότε Ἀβοριγίνων τῶν τῇδε Ἰταλῶν Φαῦνος ὁ τοῦ Ἄρεως*, ...

[1]) cf. App. ed. I. p. 833.

Venus: in Syr. c. 66: *ὃ μὲν δὴ . . . . τὸ τῆς Ἐλυμαίας Ἀφροδίτης ἱερὸν ἐσύλησε, καὶ φθίνων ἐτελεύτησε*, ...
in B. C. II. c. 151: *καὶ τὸ γένος ἐκ Διὸς ἦστην ἑκάτερος, ὃ μὲν* (Alexander) *Αἰακίδης τε καὶ Ἡρακλείδης, ὃ δὲ* (Caesar) *ἀπ' Ἀγχίσου τε καὶ Ἀφροδίτης.*

Vesta: in Celt. fr. 6. Vestae sacerdos narratur Roma a Gallis obsessa ad deae aedem progressus sacrificasse et incolumis per medios hostes revertisse: *ὃ μὲν δὴ κινδυνεύειν ὑπὲρ τῶν ἱερῶν ἑλόμενος ὑπ' αὐτῶν ἐσώζετο τῶν ἱερῶν*[1]) *καὶ τόδε φησὶν ὧδε γενέσθαι Κάσσιος ὁ Ῥωμαῖος.*

Sol denique si non nominatur, at significatur his locis: in Prooem. c. 9: *ἀρχομένου τε καὶ δυομένου τοῦ Θεοῦ*, ... in Pu. c. 113: *ἤδη δὲ τοῦ Θεοῦ περὶ δείλην ἑσπέραν ὄντος*, ... in B. C. IV. c. 79: *δύνοντος ἄρτι τοῦ Θεοῦ*, ... in B. C. IV. c. 85: *κλίνοντος ἐς δείλην ἑσπέραν ἤδη τοῦ Θεοῦ*, ...

Haec exempla contemplati concedemus multa non ita idonea videri, quod ad verbum ex fontibus transcripta esse patet; concedemus porro verba illa, quae ad solis occasum pertinent, vulgaria ac sermone trita fuisse. Sed si respicimus B. C. II. c. 151., Illyr. c. 4. et 5., Syr. c. 66., Celt. fr. 6., facere non possumus, quin arbitremur Appianum credidisse illos deos et exstare et agere. Quod etiam magis elucebit, cum de antiquis fabulis verba fient.[2])

Tamen miretur quispiam eum, quamvis saepe deum agentem faciat, raro nominare deos certos, plerumque uti vocibus communibus. Sunt autem hae:

Deus appellatur: *ὁ Θεός*: in:

B. C. I. c. 83: *τήν τε γῆν ὁ Θεὸς ἐπὶ μέγα ἔσεισε, καὶ νεώς τινας ἐν Ῥώμῃ κατήνεγκε*, . . .

B. C. II. c. 36: *αἱμά τε γὰρ ἔδοξεν ὁ Θεὸς ἷσαι*, . . .

B. C. IV. c. 16: *καὶ τάδε ἐγίγνετο οὐκ ἐν ἰδιώτιδι πόλει*, . . . *ἀλλὰ τὴν δυνατωτάτην* . . . *διέσειεν ὁ Θεός*, . . .

B. C. IV. c. 131: . . . *βλάπτοντος ἤδη τοῦ Θεοῦ*, . . .[3])

[1]) *ὑπ' αὐτῶν ἐσώζετο τῶν ἱερῶν* ex sua sententia Appianus scripsisse videtur. cf. Liv. V. c. 46. Dio fr. XXV., 6.

[2]) cf. p. 26 sqq.

[3]) Cum fontes, ex quibus Appianns bellorum civilium historiam hauriret, servati non sint, diiudicari non potest, quo nomine deus in iis significatus fuerit.

θεός in:

Samn. fr. 4,2: ... *θεὸς δ'ἐνεμέσησε τῆς μεγαληγορίας*, ...

Hisp. c. 23: ... *καὶ μᾶλλον ἐδόκει κατὰ θεὸν ἕκαστα δρᾶν*, ...[1])

Hisp. c. 82: ... *θεοῦ σφᾶς ἀποτρέποντος*, ..

Hann. c. 12: *Ἀννίβας δέ, θεοῦ παράγοντος αὐτόν*, ...

Hann. c. 40: ... *θεοῦ παράγοντος αὐτὸν* ...

Hann. c. 53: *θεὸς δέ μοι δοκεῖ* ... *ἀντιδοῦναι* ...

Pu. c. 106: ... *τὴν μὲν ἀρχὴν* ... *θεὸς ἔδωκεν*, ...

Maced. c. 18: ... *ὁ Περσεὺς* ... *αὐτὸν ἐλαίνοντος θεοῦ*, ...

Syr. c. 28: *θεοῦ βλάπτοντος* ... *τοὺς λογισμούς*, ...

Syr. c. 69: ... *θεοῦ μετιόντος* ...

B. C. I. c. 113: ... *βλάπτοντος ἤδη θεοῦ*, ...

B. C. II. c. 62: ... *θεοῦ παράγοντος*, ...

B. C. II. c. 63: *θεοῦ σφᾶς ἐπὶ μετάνοιαν ἄγοντος*, ...

B. C. II. c. 67: ... *θεοῦ βλάπτοντος* ...

B. C. II. c. 71: *ἀλλὰ τάδε μὲν ᾠκονόμει θεὸς* ..,

B. C. III. c. 72: ... *ἤδη θεοῦ βλάπτοντος*, ...

B. C. IV. c. 86: ... *πνεύματος* ... *κατὰ θεὸν* ... *γενομένου* ...

B. C. V. c. 112: ... *θεὸς ἐς τὸν Ἀβάλαν λιμένα παρήνεγκε* ...

B. C. V. c. 140: ... *θεοῦ βλάπτοντος* ...

τὸ δαιμόνιον in:

Maced. fr. 19: *ὅτι Παύλῳ* ... *τὸ δαιμόνιον ἐφθόνησε τῆς εὐτυχίας.*

B. C. I. c. 83: *καὶ τάδε* ... *ἐδόκει καὶ τὸ δαιμόνιον* ... *προσημῆναι* ..

B. C. III. c. 61: ... *τοῦ δαιμονίου* ... *ἐνοχλοῦντος* ...

B. C. IV. c. 21: *οὕτω ταῖς τότε συμφοραῖς καὶ τὸ δαιμόνιον ἐπέκειτο.*

B. C. IV. c. 134: *ἃ καὶ τὸ δαιμόνιον* .., *ἐνεμέσησε*, ...

[1]) cf. Pol. X. c. 14,11: *ἅπαν τὸ στρατόπεδον ὑπέλαβε μετά τινος θεοῦ προνοίας γίνεσθαι τὸ συμβαῖνον.*

Eiusdem libri secundo capite narrat Polybius a multis Scipioni singularem deorum favorem attributum esse. Verbis *κατὰ θεὸν* Polybius non utitur.

B. C. V. c. 128: ... *τὸ δαιμόνιον* ... *ἐνεμέσησε* ...

ὁ δαίμων in:

B. C. II. c. 149: ... *τὸ πέλαγος* ... *τοῦ δαίμονος κατέχοντος* ...

δαίμων in:

Pu. c. 132: ... *καὶ πόλεις* ... *δεῖ μεταβαλεῖν ὥσπερ ἀνθρώπους δαίμονα*, ...[1])

B. C. II. c. 84: ... *κατὰ δαίμονα* ... *τὸ πνεῦμα τὸν Πομπήιον κατέφερεν.*

B. C. V. c. 87: *ὑπὸ δὲ ἑτέρου δαίμονος ἀγαθοῦ τὸ τρισκαιδέκατον τέλος ἐπλησίαζε* ...

B. C. V. c. 94: *κατὰ δαίμονα δ'ἀμφοτέρων προσιόντων* ...

θεοί in:

B. C. IV. c. 115: ... *ὑπό του θεῶν ἐκδεδομέναι τοῖς πολεμίοις.*

Priusquam ad hunc usum declarandum aggrediamur, magni interest cognoscere, num etiam apud priores historicos eum offendamus. De Herodoto conferas, quae Hoffmeisterus dicit[2]): „... beinahe immer, wenn er eine Begebenheit auf einen höhern Ursprung zurückführt, spricht er nicht von einem bestimmten Gotte, sondern nennt dann beinahe immer nur den Gott, die Gottheit (*θεός, θεῖον, δαιμόνιον*) im Allgemeinen." De plurali numero *θεοί* ibidem haec legimus: „Sonst gebraucht Herodotos diese Mehrzahl vornehmlich nur dann, wenn er mehr aus der Seele Anderer, als aus seiner eigenen spricht."

Fere eadem de Thucydide dicit Bockshammerus[3]): „Schon das ist in dieser Beziehung verdächtig, dass er nur selten den Namen eines einzelnen Gottes nennt, und zwar immer nur da, wo es sich um Angelegenheiten des Cultus oder um subjective Ansichten einzelner Personen handelt;

[1]) cf. Polyb. XXXIX. c. 6: ... *δεῖ μεταβαλεῖν ὥσπερ ἀνθρώπους δαίμονα.* Descripsit igitur Appianus hunc locum ex Polybii historia.

[2]) cf. Sittlich-religiöse Lebensansicht des Herodotos. Essen 1832. p. 8.

[3]) cf. Die sittlich-religiöse Weltanschauung des Thukydides. Tübingen 1862. p. 20.

noch mehr aber, dass er selber anstatt des Pluralis *θεοί* sehr gerne den Ausdruck *τὸ θεῖον* oder *ὁ θεός* gebraucht."

Itaque Herodotus et Thucydides cum Appiano consentiunt, nisi quod uterque verbo *τὸ θεῖον* nonnumquam utitur, quod in Appiani historia non exstat. Xenophonti quoque ea consuetudo est.[1]) Ac ne Polybius quidem vacat.[2]) Dionysius Halicarnassensis, auctor Appiani gravissimus, a ceteris historicis hac re non differt.[3]) Neque vero tam raro pluralis numerus *θεοί* invenitur. Plutarchus denique cum de universo numine divino tum de singularibus deis disputat.[4]) Sic perlustratis scriptoribus Graecis causam talis usus perscrutemur. Naegelsbachius, ubi haec disserit[5]), Graecos unius voluntatis divinae potentiam sensisse existimat, cuius initium in ipsis Homeri carminibus animadvertit. Iovis enim voluntas absoluta ab Homero habetur,[6]) ceteri dei principum concilii locum obtinent. Aetatis autem, quae post Homerum fuit, opinionem Naegelsbachius sic describit[7]): „... weit wichtiger ... ist die Gliederung der Götterwelt nach Familienbezügen. In diesen erscheint das Zusammenstehn der Hauptgottheiten recht eigentlich als ein Organismus, der von einem Punkt aus Dasein, Leben und Wirksamkeit empfängt. Als dieser Mittelpunkt stellt sich uns Zeus dar." Et alio loco[8]): „... Zeus ists im Grunde, der in der Gemahlin, in den Brüdern und in den Kindern wirkt, ..." Tum transit[9]) idem vir doctus ad historicorum eam dictionem, de qua hic quaeritur. Verba *θεῶν τις*, *θεός*, *ὁ θεός*, *ὁ δαίμων*, *τὸ θεῖον*, *τό δαιμόνιον*, *οἱ θεοί*, *θεοί* unius dei cultum indicare dicuntur.[10]) Deinde vicissi-

[1]) cf. Nägelsbach: Die nachh. Theol. p. 138.

[2]) cf. Unger: „Polybios und Diodoros über den Söldnerkrieg" in: Rhein. Mus. N. F. XXXIV. 1879. p. 104.

[3]) cf. Busse: de Dionysii Halic. vita et ingenio diss. inaug. Berolini. 1841. p. 33. et 36.

[4]) cf. Volkmann: l. l. II. p. 249. et 250.

[5]) cf. l. l. p. 138.

[6]) cf. Nägelsbach: Die Homerische Theologie.[2] 1884 p. 139.

[7]) cf. Die nachhomerische Theologie: p. 131.

[8]) cf. ibid. p. 137. — [9]) cf. ibid. p. 138.

[10]) cf. ibid. p. 138.—140.

tudine ostensa, qua usi historici modo unum modo plures deos agentes inducunt, hic est exitus[1]): „... eben aus diesem Wechsel der monotheistischen und polytheistischen Ausdrucksweise geht zur Genüge hervor, dass die monotheistische Richtung eine fast unbewusste, naive, ein dunkler Trieb ist, ein Licht, das in die Finsterniss scheint, aber von dieser nicht begriffen wird."

Equidem huic interpretationi maxima ex parte assentior ratus unum numen divinum historicos obscure sensisse. Sed unum in medio reliquit Naegelsbachius. Quaeritur enim, cur certi dei rarissime apud rerum scriptores nominentur, apud poetas, qui eodem unius dei studio sint, frequentissime. Cur porro communes illae voces in historicorum scriptis continuo praeferuntur, in poetarum carminibus *ὁ θεός*, *ὁ δαίμων*, *τὸ δαιμόνιον* vitantur? An Herodoti magis coluerunt unum deum quam Aeschyli? Quam difficultatem ut solvamus non sufficiunt, quae Naegelsbachius dixit. Praeterea considerandum est, quantum intersit inter orationem poëtae et rerum scriptoris. Poëta enim, etsi deorum potestates singularium nequaquam sunt definitae, tamen bella Marti, amores Veneri, alia, quae ad naturam et vitam humanam pertinent, attribuere solet deis aliis. Atque iure haec fingit, cum hoc modo magis varia et definita dictio fiat. Ut breviter loquar, poetae ratio dicendi sensui subiecta esse debet. Sed historico, si quid ad deos refert, certos deos, quos vult, nominare non licet. Nam refert, non fingit. In universum autem divinae voluntatis admonere eos, qui legunt, ita non est fingere, ut pietas potius vocetur. Itaque apta snnt verba (*ὁ*) *θεός*, (*ὁ*) *δαίμων*, *τὸ θεῖον*, *τὸ δαιμόνιον*. Quae omnia ab historicis nominum propriorum loco posita sunt. Contra voces *ὁ θεός*, *ὁ δαίμων*, *τὸ θεῖον*, *τὸ δαιμόνιον* a poëtis plerumque vitantur, quod, obscurae ut sunt, ad eorum sermonem sensui subiectum non quadrant.

Haec hactenus. Age vero inquiramus, quomodo inter se habeant nomina ab Appiano numini divino indita.

[1]) cf. ibid. p. 140.

Inter verbum *θεός* et *δαίμων* apertum discrimen non fit. De neutrius enim natura usquam disputatur, nedum alterum ad alterum referatur. Quamquam uno loco inter bonos et malos genios discerni videtur. Nam cum Octavianus cum Sex. Pompeio congressus in angustiis esset, legio tertia decima auxilio venit adducta a deo quodam, quem nominat Appianus *ἕτερον δαίμονα ἀγαθόν*[1]), i. e. alterum atque eum bonum genium. Itaque adversas res a malo genio antea esse factas existimare necesse est. Quae cum ita sint, verisimile est significari eo loco animalia medium locum inter deos et homines obtinentia, qualia esse omnibus temporibus Graeci opinabantur. *τὸ δαιμόνιον* denique semper idem est ac numen divinum vel deorum neque usquam articulo caret. Nam neutrum genus adiectivi *δαιμόνιος* quod est, ipso articulo nomen substantivum fit.

Θεοί: Pluralem numerum extra orationes semel, in orationibus saepe inveniri ad postremum praedicaverim[2]).

Caput III.

Unde cognoscatur numen divinum.

Enumeratis deorum nominibus, unde cognoscitur eos et esse et agere? Inde ab antiquissimis temporibus Graecorum religio imprimis posita erat in fabulis a maioribus traditis.[3]) Quae a poëtis non fictae esse habebantur, sed cultus velut fundamentum magna apud plerosque auctoritate erant.[4])

[1]) cf. B. C. V. c. 87.

[2]) cf. c. IV.

[3]) cf. Nägelsbach: Nachh. Theol. p. 157/158: „Für den Griechen ist Wissen im Allgemeinen Erfahrung, die historische Kenntniss der Dinge und die Quelle des Wissens ist Ueberlieferung." ibidem p. 158./159. „Somit ist auch das Wissen von den Göttern ein historisches."

[4]) cf. Klix: Thukydides und die Volksreligion. Züllichau 1854. p. 22: „Im Glauben des Volkes fand die Religion ihre hauptsächlichste Stütze in dem Herkommen, welches von den den Göttern näherstehenden, mit ihnen in engster Verbindung lebenden und das, was sie überliefern, aus unmittelbarer Offenbarung wissenden Vorfahren stammte ...." et p. 23: „.... und diese Anschauung lässt sich aus allen Zeiten belegen."

Itaque magni interest explorare, quanti eas Appianus aestimaverit. Ac primum quidem exempla colligamus: cf. de reg. fr. 1.: Faunus Martis filius appellatur[1]). Illyria narratur[2]) nomen accepisse ab Illyrio, Polyphemi filio. Polyphemum autem et Galateam, postquam e Sicilia abissent, Galatas rexisse et Gallos et Illyrios. Tum pergitur: *καὶ τόδε μοι μάλιστα, πολλὰ μυθευόντων ἕτερα πολλῶν, ἀρέσκει.* Itaque, ut Polyphemum mittamus, Galateam olim fuisse Appianus credit. Neque est dubium, quin nympha illa significetur, quam a Polyphemo amatam esse inter omnes constat.

Ex utroque exemplo elucet pio animo Appianum accepisse, quae de vetere hominum et deorum consuetudine tradebantur. Hac autem imprimis nisum esse deorum cultum docet Naegelsbachius.[3]) In Mithrid. c. 103. haec scripta videmus: *τοὺς Κόλχους ἐπῄει* (Pompeius) *καθ' ἱστορίαν τῆς Ἀργοναυτῶν καὶ Διοσκούρων καὶ Ἡρακλέους ἐπιδημίας, τὸ πάθος μάλιστα ἰδεῖν ἐθέλων, ὃ Προμηθεῖ φασὶ γενέσθαι περὶ τὸ Καύκασον ὄρος.* Deinde refert Appianus ex Caucasi fontibus accolas aurum colligere velleribus in flumine sic suspensis, ut illud adhaereret. Adduntur haec: *καὶ τοιοῦτον ἦν ἴσως καὶ τὸ χρυσόμαλλον Αἰήτου δέρος*[4]).

Neque vero aliud fabularum antiquarum interpretationis exemplum exstat neque id ipsum ab eo inventum est. Tamen, cum ex fonte suo transcriberet, comprobavit. Itaque talia ut non quaerebat, ita, cum semel offenderat, non repudiabat. Quod addidit *φασί*, hoc verbo et similibus a scriptoribus Atticis certe tradita significantur[5]). Is usus multum valeat ad nonnullos alios locos intellegendos; neque tamen ausus sum, ea enuntiata quae pendent ex *φασίν*, *λέγουσιν*, similibus verbis tanti aestimare quanti alia. Sed exempla proferamus nonnulla:

[1]) cf. p. 20. — [2]) cf. Illyr. c. 2.

[3]) cf. Hom. Theologie.[3] p. 144. Nachhom. Theol. p. 159.

[4]) Jordanus (l. l. in p. 93.) eadem Strabonis interpretatione allata utrumque scriptorem ex eodem fonte hausisse nescio an iure coniciat.

[5]) cf. Nägelsbach: Hom. Theol. p. 388. not. 21.

Legimus B. C. II. in c. 20: *ὁ Μίλων . . . ἐς τὴν πατρίδα Λανούβιον*[1]) *ἐξήει, ἣν Λιομήδη φασίν . . . οἰκίσαι, . . .*

ibid. in c. 39: . . . *Λίρραχος, νομιζόμενος εἶναι Ποσειδῶνος, . . .*

ibid.: . . . *τῷ Λυρράχῳ συνεμάχησεν ὁ Ἡρακλῆς . . .*

ibid.: *φασὶ . . . Λυρράχου παῖδα Ἰόνιον ὑφ' Ἡρακλέους ἐξ ἀγνοίας ἀποθανεῖν, . . .*

Sic praefertur modo obliqua oratio modo ea, qua certae res narrari solent.

Etiam graviora sunt, quae exstant B. C. II. in c. 151[2]): Alexandri origo ducitur ab Hercule, Aeaco, Iove, Caesaris ab Anchise ac Venere. Ergo deos cum mortalibus se miscuisse conceditur, cum nobilium Romanorum genus divinum habeatur.

Nihil novi discimus ex B. C. IV. c. 41: *οἷόν που καὶ τὸν Αἰνείαν γράφουσιν αἰδέσιμον τοῖς πολεμίοις γενέσθαι, φέροντα τὸν πατέρα.* aut ex B. C. IV. c. 105: *ἔνθα καὶ τὸ πάθος τῇ Κόρῃ φασὶν ἀνθιζομένῃ γενέσθαι, καὶ ποταμὸς ἔστι Ζυγάκτης, ἐν ᾧ τοῦ θεοῦ περῶντος τὸ ἅρμα τὸν ζυγὸν ἅξαι λέγουσι, καὶ τῷ ποταμῷ γενέσθαι τὸ ὄνομα.*

Ex iis exemplis omnibus haec concludimus: Non secus atque Homerus etiam Appianus opinatur deos hominum in conspectum olim venisse atque ex mulieribus mortalibus liberos genuisse. Etiam aliae fabulae antiquae num verae sint, non inquirit. Ullam vero rationi repugnare contendere non est ausus.

Cum Appiano Graecorum multitudinem consensisse, Naegelsbachii verbis, quae supra protulimus, apparet. Iam exponamus, quanti, quos imitatus est, priores historici, auctores, aequales fabulas antiquas fecerint:

Herodotus a poëtis ficta esse, quae de deorum ortu et affinitate traderentur, censet[3]). — Thucydides fabularum

[1]) Sic scribo cum Schweighaeusero in App. ed. III. p. 739./740. — Codices praebent *λαβονίνιον*, Candidus vertit Lauinium; Mendelssohn (in App. ed. p. 705.) scripsit *Λανούιον*.

[2]) cf. p. 21.

[3]) cf. Meuss: Der sogenannte Neid der Götter bei Herodot.-Liegnitz 1888. p. 5.

personas homines putat eodem genere, quo aequales[1]) Tamen, etsi ad religionem eius nihil valent, ea, quae ad historiam pertinent, accipit, si probabilia videntur[2]). Xenophon fabulas magni aestimans tanta verecundia commemorat, quanta Graeca pietate oriri solebat. Polybium talia neglexisse inter omnes constat[3]). De Dionysio, cuius ex scriptis multa transtulit Appianus, Busseus haec dicit[4]): „demonstrare aliquis conetur, Dionysium omnes deorum fabulas rejecisse, sed non recte, nam nonnullas veras habet. Rejiciendae autem sunt eae, in quibus indignum aliquid natura divina narratur, (Antt. Romm. I. c. 77. p. 196. . .), accipiendae, quae utilitatem aliquam afferunt; . . . .“ Medium igitur inter historicos locum Dionysius obtinet nec longe dissentit ab Appiano.

Alia et Appiani dissimilis est Plutarchi opinio, cum interpretandis fabulis multum operae det. Sed diversa comprobasse videtur. Nam et transferre illas amat et geniorum facinora vera putat[5]). Hoc modo sibi repugnat[6]). Ceterum negabat fieri posse, ut dei cum hominibus miscerentur[7]). Fere eadem, quae Dionysius et Plutarchus, Stoici docebant[8]). Quibuscum discrepat Appianus. Contra cum plurimis aequalibus congruisse videtur. Nam ipsa Stoicorum et Plutarchi studia fabularum philosophia defendendarum atque etiam Luciani ludibria testimonio sunt, quanta apud plerosque auctoritate eae fuerint, cum et copiose defenderentur et vehementer illuderentur.

Deos, praeterquam quod ipsi hominum in conspectum olim venerant, aliis modis voluntatem etiam postea saepe indicare Graecorum erat communis opinio. Plurimum autem valebant omnibus temporibus oracula. Eorum, quae locis

[1]) cf. Klix. l. l. p. 23.

[2]) cf. ibid. p. 25 et p. 29.

[3]) cf. Markhauser: Der Geschichtschreiber Polybius, . . . München. 1858. p. 130.

[4]) cf. l. l. p. 35. —

[5]) cf. Volkmann, l. l. II. p. 307.

[6]) cf. ibid. p. 307. et 308.

[7]) cf. ibid. p. 257.

[8]) cf. Zeller: l. l. III³, 1. p. 321 sqq.

celebribus clarisque edebantur, unum, Apollinis Didymei, ad Miletum culti, commemoratur. cf. Syr. c. 56: *λέγεται δ'αὐτῷ* (Seleuco) . . . *χρησμὸν ἐν Διδυμέως γενέσθαι πυνθανομένῳ περὶ τῆς ἐς Μακεδονίαν ἐπανόδου, "μὴ σπεῖδ' Εὐρώπην*[1]*). Ἀσίη τοι πολλὸν ἀμείνων."* Ne quis arbitretur *λέγεται* verbo commotus suam opinionem Appianum non proferre hic, in c. 62. haec legimus: *καὶ Σέλευκος μὲν οὕτω τελευτᾷ, . . . καί μοι δοκεῖ καὶ ἐς τοῦτο αὐτῷ συνενεχθῆναι τὸ αὐτὸ λόγιον, "μὴ σπεῖδ' Εὐρώπην. Ἀσίη τοι πολλὸν ἀμείνων."* Tum demonstratur, quam verum oraculum fuerit. Praeterea, si non sacra loca, quibus oracula edita sint, nominantur, at tamen duo versus referuntur, qui unde fluxerint, nescimus. cf. Syr. c. 63: *λέγεται δὲ καὶ περὶ αὐτοῦ τοῦ θανάτου ποτὲ αὐτῷ* (Seleuco eidem) *χρωμένῳ λόγιον προαγορευθῆναι "Ἄργος ἀλευόμενος τὸ πεπρωμένον εἰς ἔτος ἥξεις· εἰ ὁ Ἄργει πελάσαις, τότε κεν παρὰ μοῖραν ὄλοιο."* Rursus iis, quae sequuntur demonstratur rectum hoc oraculum fuisse. Etsi Hieronymo Cardiano Seleuci historiam Appianus debet, dubium non est, quin, quod tam copiose eam rem tractavit nec contraxit, ut permultas alias, ipse oraculum miratus sit.

Multae narrantur vaticinationes non solum vatum, verum etiam aliorum hominum. Ut Sullam principatum praedixisse dicit Appianus in B. C. I. c. 104: Cum enim dictatura deposita Sulla a foro abiret, adulescens quidam conviciis vexabat. Ille aequo animo perferens respondit *εἴτε ἀπὸ συνέσεως εἴτε καὶ τύχῃ καταμαντευόμενος τῶν ἐσομένων, . . ὅτι κωλύσει τὸ μειράκιον τόδε ἕτερον ἄνδρα ἀρχὴν τοιάνδε ἔχοντα ἀποθέσθαι.* Cum quilibet alius fluxisse tale Sullae dictum ex ratione ac consilio arbitratus sit, Appianus verborum magnificentia quadam sic pergit: *καὶ Ῥωμαίοις μὲν οὕτω γενέσθαι συνηνέχθη μετ' ὀλίγον, Γαΐου Καίσαρος τὴν ἀρχὴν οὐκέτι μεθέντος* .... Neque hic neque B. C. I. in c. 121. homines vatum ordinis vaticinantur, sed divinitus inspirati. Agitur ibi de populo Romano postulante, ut Crassus et

[1]) *εὐρώπην* habent codices optimi: Mendelssohn Plethonem secutus scripsit *Εὐρώπηνδ'*, sed adnotavit *Εὐρώπην* fortasse teneri posse. (cf. App. ed. p. 426).

Pompeius reconcilientur: *ὡς . . . καὶ θεόληπτοί τινες προύλεγον πολλὰ καὶ δεινὰ εἰ μὴ συναλλαγεῖεν οἱ ὕπατοι, ...*

Pompeium ante pugnam Pharsalicam angore vexatum esse, etsi mirum non est, arcana causa, ut solet, Appianus declarare studet. cf. B. C. II. c. 69: *εἴτε τι καὶ μαντικώτερον αὐτόν, πλησιάζοντος ἤδη τοῦ κακοῦ, συνετάρασσε, ...*

Maxime confirmatur oraculorum auctoritas Caesaris caede. Poenas dare Appiano videtur, quod vates contempserit. cf. B. C. II. c. 149: *ὃ δὲ καὶ τοιῶνδε προαγορεύσεων αὐτῷ σὺν τοσῷδε τοῦ μάντεως θάρσει γενομένων, καὶ σημείων ὧν προεῖπον ἑτέρων ὑπεριδὼν προῆλθε καὶ ἐτελεύτησεν, ...* Etiam principatus a vatibus praenuntiatur. Sed hoc oraculum tam ingens et vati ipsi tam immane erat, ut diutius vivere nollet. cf. B. C. IV. c. 4.: *καὶ ὁ πρεσβύτατος αὐτῶν τὰς πάλαι βασιλείας ἐπανήξειν εἰπών, καὶ δουλεύσειν ἅπαντας χωρὶς ἑαυτοῦ μόνου, τὸ στόμα κατέσχε καὶ τὸ πνεῦμα ἕως ἀπέθανεν.* — Parvi sunt momenti, quae inveniuntur B. C. IV. in c. 138: *ἀπήντησέ γε μὴν αὐτοῖς* (Antonio et Octaviano post pugnam Philippicam) *καὶ ὃ συνιόντες ἐς τὴν μάχην ἐπεμαντεύσαντο Ῥωμαίοις· ἐκρίθη γὰρ αὐτῶν ἡ πολιτεία .... καὶ οὐκ ἐπανῆλθεν ἐς δημοκρατίαν ἔτι, ...* Verbum enim *ἐπιμαντεύεσθαι* eo loco potius praedicendi i. e. ex iis, quae antecesserunt, coniciendi vim habet.

Quibus de rebus omnibus Dominicus sic iudicat[1]): „Vim sensum eventumque quem talia habebant, interdum quidem apponit, tamen nusquam ex modo quo narrat colligi potest ipsum fidem iis habuisse .... et in p. 29: „solet autem nobis videri vir . . . nec superstitionibus imbutus nec suspiciosus, . . .“

Tanta laude dignus Appianus non est. Neque enim exempla, quae modo attuli, superstitionibus imbutum eum non fuisse putare sinunt. Immo omnia sic narrata sunt, ut, quamquam proprium iudicium additum nullum est, tamen id ipsum manifestum sit. Vera enim esse oracula Appianus et ipse credidit et eorum, qui legerent, animis opponere volebat. Nisi fidem oraculis habuisset, non tam sedulo ea narrasset, quae exitu confirmata essent, neque alius generis

[1]) cf. l. l. p. 28.

signa caelestia tam multa collegisset, quam infra cognoscemus, neque de omnibus tacuisset, quae vaticinationum fidem labefactare possent. Quodsi B. C. II. in c. 149. coniuncta sunt verba: *ὑπεριδὼν προῆλθε καὶ ἐτελεύτησεν* .... clariore iudicio opus non est. Itaque exemplorum summa ad iudicium adducimur Dominici contrarium: Patet enim Appianum oraculis fidem habuisse sive locis sacris ederentur sive a vatibus sive ab inspiratis divinitus hominibus; quolibet deum uti posse, ut voluntatem suam aperiret. Sed quisquis contempsisset vaticinationes aut illusisset, sua cum pernicie eum impium se praebuisse.

Praeter oracula indicant dei consilia sua mortalibus signis caelestibus et portentis. Quorum ex copia ipsa intellegimus, quantam iis attribuerit Appianus verecundiam. Quid? quod omnia rerum eventu confirmantur?

Iam ad ipsa exempla transeamus.

Initium capimus ex iis signis, quae accuratius significata non sunt:

cf. Ital. fr. 8: *ὅτι σημείων γενομένων ἐκ Διὸς ὑηδῶν* ....[1]), Hann. c. 56.[2]),

B. C. II. c. 18.: *ἀλλὰ τῷδε μὲν ἐξιόντι τῆς πόλεως πολλά τε ἄλλα ἀπαίσια ἐγίγνετο* .... Agitur de Crasso. Cuius clade ingenti signa comprobantur.

B. C. II. in c. 36. multa prodigia enumerantur, quae bello civili secundo antecesserunt: *ἄλλα τε πολλὰ δυσχερῆ προεσήμαινε τὴν ἐς ἀεὶ τῆς πολιτείας ἀναίρεσίν τε καὶ μεταβολήν.* Ac sublata est libera res publica.

Naturae miracula exstant haec: in Celt. fr. 13. pugna ad Noreiam describitur: *τάχα δ'ἂν καὶ πάντας* (milites) *ἀπώλεσεν* (Carbo), *εἰ μὴ ζόφος καὶ ὄμβρος καὶ βρονταὶ βαρεῖαι ... διέσησαν αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων, καὶ ὁ ἀγὼν ὑπὸ τῆς ἄνωθεν ἐκπλήξεως διελύθη* ....

---

[1]) Quae verba cum incipiant fragmentum, concedimus fieri potuisse, ut ab excerptore adderentur. (cf. Hannak l. l. p. 45. et 46.) Sed quisquis, quae sequuntur, legerit, infausta signa ab Appiano commemorata esse concedet.

[2]) cf. p. 20.

cf. Syr. c. 56: *καὶ ἐν Μακεδονίᾳ τὴν ἑστίαν αὐτοῦ*[1]) (Seleuco) *τὴν πατρῴαν, οὐδενὸς ἅψαντος, ἐκλάμψαι πῦρ μέγα.*

in B. C. I. c. 83.[2]) pergitur: *τό τε Καπιτώλιον .... ἐνεπρήσθη, καὶ τὴν αἰτίαν οὐδεὶς ἐπενόει.* Omnia praenuntiant belli civilis, quod sequitur, terrores.

In B. C. I. c. 110. legimus: *καὶ συμβάλλουσιν ἀλλήλοις* (Sertorius Perperna, Pompeius Metellus) .... *κτύπου δ'ἐν αἰθρίᾳ φοβεροῦ καὶ ἀστραπῶν παραλόγων γενομένων, τάδε μὲν ὡς ἐμπειροπόλεμοι διέφερον ἀκαταπλήκτως* .... Hic quispiam opinatus sit apertum esse exemplum impunitatis impii animi. Sed erraverit. Nam quod postea magna ab utrisque caede facta tamen anceps pugna est, satis magno Appiano documento fuerit diem illum ad pugnandum aptum non fuisse.

cf.: B. C. II. c. 36: *αἱμά τε γὰρ ἔδοξεν ὁ Θεὸς ὗσαι, καὶ ξόανα ἱδρῶσαι, καὶ κεραυνοὶ πεσεῖν ἐπὶ νεὼς πολλούς, καὶ ἡμίονος τεκεῖν* .... B. C. II. c. 68: ... *σέλας ἐξ οὐρανοῦ διαπτὰν ἀπὸ τοῦ Καίσαρος ἐς τὸ Πομπηίου στρατόπεδον ἐσβέσθη,* .... Et rectum est id prodigium. — De B. C. II. c. 149. cf. p. 23.

cf. B. C. II. c. 150: *Καίσαρι δὲ ἥ τε Ἰόνιος θάλασσα εἶξε, χεμῶνος μέσου πλωτὴ καὶ εὔδιος γενομένη,* ....

Auspicia[3]) quoque diligenter respiciuntur: cf.:

B. C. I. c. 75: ... *τὸ μάντευμα ὅμως ἀπήντα* (Mario) *τὸ τῶν ἑπτὰ νεογνῶν ἀετῶν.* Atque fuit septies consul Marius.

B. C. III. c. 94: *ἔθνε* (Caesar Octavianus) *δώδεκά οἱ γυπῶν φανέντων ὅσους φασὶ καὶ Ῥωμύλῳ τὴν πόλιν οἰκίζοντι ὀφθῆναι.*

Ciceronis morti haec auspicia antecesserunt: *ἐς τὸ δωμάτιον αὐτοῦ κόρακες ἐσπτάντες ἔκλαζον .... καὶ τὸ ἱμάτιον ἀπέσυρον ἀπὸ τοῦ σώματος, ἕως οἱ θεράποντες σημηνάμενοι τό γιγνόμενον εἶναι σύμβολον ἔκ του θεῶν .... ἦγον ....* (cf. B. C. IV. c. 19.).

Haec fiunt ante pugnam Philippicam: *δύο δὲ ἀετοὶ καταπτάντες ἐς τὰν σημείων δύο ἀετοὺς ἀπ' ἀργύρου πεποιημένους, ἐκόλαπτον αὐτούς, ἢ ὡς ἑτέροις δοκεῖ περιέσκεπον καὶ παρέμενον, ... μέχρι πρὸ μιᾶς τῆς μάχης ἡμέρας ἀπέπτησαν.*

---

[1]) *αὐτοῦ* habent cdd. optimi, *αὐτῷ* deteriores.

[2]) cf. p. 22.

[3]) Auspiciis et haruspiciis copiose traditis Appianus praebet se potius Romani imperii civem quam Graecum.

(cf. B. C. IV. c. 101.) Quanta diligentia rettulit Appianus quae plures tradiderunt!

Etiam maiora signa ante eandem pugnam acciderunt: *ἀετοὶ δύο ἐς τὸ μεταίχμιον συμπεσόντες ἀλλήλοις ἐπολέμουν· . . . . φυγόντος δὲ τοῦ κατὰ Βροῦτον, βοή . . . . ἠγέρθη*[1]) . . . Sic Bruti (clades indicata est. Quod Cassii interitus praenuntiae aves ab Appiano desiderantur, levissima captantur, quae in peiorem partem trahantur. Avium enim turba tacite sedentium supra castra calamitatem praenuntiasse dicitur. cf. B. C. IV. c. 134: . . . *ὄρνεά τε πολλὰ ὑπὲρ τὸ στρατόπεδον αὐτοῦ καθήμενα*[2]) *κλαγγὴν οὐδεμίαν*[3]) *ἠφίει*, . . . Si clamorem aves sustulissent, eandem in sententiam Appianus convertisset. Mirari hercle debemus ab historico nec rudi nec stulto talia commemoratu dignata esse.

Ne sacrificiis quidem umquam homines falluntur. Ut cum coniurati consilium cepissent Scipionis castra incendio delere, sacrificiis constanter iniquis salus debita est: *Σκιπίωνι δέ θυομένῳ κίνδυνον τὰ ἱερὰ ἐδήλου ἐμπρησμοῦ· . . . . ὡς δ' οὐκ ἀνίει τὰ ἱερὰ τὸν ἐμπρησμὸν ὑποδεικνύοντα, ὁ μὲν . . . .* (cf. Pu. c. 29.). — Etiam Caesar vitam conservasset, nisi cum oracula tum sacrificia contempsisset. cf. B. C. II. c. 115: *θυομένῳ τε πολλάκις ἦν τὰ σημεῖα φοβερά. . . .* et B. C. II. c. 116: *καὶ πάλιν τῶν ἱερῶν ἦν τῷ Καίσαρι τὸ μὲν πρῶτον ἄνευ καρδίας, ἢ ὡς ἕτεροι λέγουσιν, ἡ κεφαλὴ τοῖς σπλάγχνοις ἔλειπεν.* Ut supra ita hic unus nuntius Appiano non suffecit. — Eadem hostiae facies Alexandro sacrificanti ostensa est. cf. B. C. II. c. 152: *ἐγένετο γὰρ ἑκατέρῳ* et Alexandro et Caesari) *δὶς ἄλοβα, καὶ τὰ μὲν πρῶτα κίνδυνον σφαλερὸν ὑπέδειξεν, ... τὰ δεύτερα δὲ ἐς τὸν θάνατον αὐτόν.* Deinde duobus capitibus longis utrumque oraculum verum fuisse demonstratur. Cuius documenti ultima verba sunt gravissima: cf c. 153: . . . *καὶ ἑάλωσαν ὅμως ὑπὸ τῷ λύγῳ τῶν μαντευμάτων.*

---

[1]) cf. B. C. IV. c. 128. — [2]) Concedo placere mihi Mendelssohni coniecturam *πετόμενα*. (cf. App. ed. p. 1051.)

[3]) Candidus vertit: moestum clangorem edidere. Dio (cf. XLVII. c. 40.) terribilem clangorem aves edidisse ait. Itaque nescio an scripserit Appianus *δεινὴν*.

Memorabilis est enuntiati structura in B. C. II. c. 153: . . . *μέχρι βραδυνόντων αὐτῷ* (Caesari) *τῶν ἱερῶν δυσχεράνας ᾐσθε καὶ ἀνηρέθη.*

Ad sacrificia denique aliquo modo pertinent, quae narrantur B. C. II. in c. 68: *αὐτῷ δὲ τῷ Πομπηίῳ τῆς αὐτῆς νυκτός* (ante pugnam Pharsalicam) *τινα τῶν ἱερείων ἐκφυγόντα οὐ συνελήφθη*, . . .

Nec desunt mira somnia. Ut paene absurdum est existimare somnio impulsum Caesarem, contemptorem omnium portentorum, Carthaginem restituisse. cf. Pu. c. 136: . . . . . *Γάϊος Καῖσαρ . . . λέγεται, τῇ Καρχηδόνι παρασιτοπεδεύων, ὑπ' ἐνυπνίου στρατὸν πολὺν ἰδὼν κλαίοντα ἐνοχληθῆναι, καὶ αὐτίκα ἑαυτῷ ἐς μνήμην ὑπογάψασθαι Καρχηδόνα συνοικίζειν.* Quamquam *λέγεται* verbo opinionem attenuari non nego.

Ex somnio Dido vitae periculum imminere cognovit. cf. Pu. c. 1: *ἡ δὲ ἐξ ἐνυπνίου τὸν φόνον ἐπέγνω*, . . .

In Syr. c. 56., quod rerum mirarum plenum est, legimus: *καὶ ὕναρ αὐτοῦ τὴν μητέρα ἰδεῖν*, . . . De quo somnio copiosius tum agitur.

De Luculli somnio haec scripta videmus in Mithrid. c. 83: . . . *τὴν πόλιν* (Sinopen) *εὐθὺς ἐλευθέραν ἠφίει δι' ἐνύπνιον, ὃ τοιόνδε ἦν.* Hoc quoque somnium accuratius narratur.

Sullae mors eodem modo praenuntiata brevi accidit: cf. B. C. I. c. 105: . . . *ἐν τοῖς ἀγροῖς ἐνύπνιον ἔδοξεν ἰδεῖν, ὅτι αὐτὸν ὁ δαίμων ἤδη καλοίη· . . . καὶ νυκτὸς ἐτελεύτησεν*, . . .

Pompeius somniavit ante pugnam Pharsalicam: cf. B. C. II. c. 69: . . . *ὄναρ ἔφασκεν ἄρτι νεὼν ἐν Ῥώμῃ καθιεροῦν Ἀφροδίτῃ νικηφόρῳ.* Qua de causa turbatus est Pompei animus, quod eum perdere dei decreverant, ut principatum instituerent.

Caesaris mors cum multis prodigiis tum somnio ostenditur: cf. B. C. II. c. 115: . . . *καὶ γυνὴ* (Caesaris) *Καλπουρνία ἐνύπνιον αἵματι πολλῷ καταρρεόμενον ἰδοῦσα κατεκώλυε μὴ προελθεῖν.*

Ad Philippos Octavianus somnio commotus hostes effugit: cf. B. C. IV. c. 110: . . . *καὶ τὸ στρατόπεδον ἐξεῖλον*, (hostes) . . . *Καίσαρος αὐτοῦ δι' ἐνύπνιον ἔνδον οὐκ ὄντος*, . . .

Varii generis prodigia sunt haec: cf. de reg. fr. 2.: ... *ἐσφάγη* (Romulus), *ἢ ὡς ἄλλοι φασίν, ἠφανίσθη.*

cf. Syr. c. 56: *Ἀλεξάνδρῳ .... ἄνεμος ἐμπεσὼν ἥρπασε τὸ διάδημα, καὶ φερόμενον ἐκρεμάσθη δόνακος ἐν τάφῳ τινὸς ἀρχαίου βασιλέως. καὶ ἐσήμαινε μὲν ἐς τὴν τελευτὴν τοῦ βασιλέως καὶ τόδε,* .... Atque porro tractatur haec fabula usque ad finem capitis.

Seleuci milites Seleuciam condere iussi cum initii signum exspectarent, etsi vates de industria rem traxerunt, tamen subito aedificare urbem coeperunt deo auctore. cf. Syr. c. 58.

Pompei cladis cum alia signa sunt tum hoc: cf. B. C. II. c. 68: ... *καὶ μελισσῶν ἑσμὸς ἐπὶ τοῖς βωμοῖς ἐκάθισε, ζῴον νωχελοῦς.* In B. C. IV. c. 134. multa miracula enumerantur, quae pugnae Philippicae autecesserunt: *Κασσίῳ ... ὁ ῥαβδοῦχος ἀνεστραμμένον τὸν στέφανον ἐπέθηκε καὶ Νίκη, χρυσοῦν ἀνάθημα Κασσίου, κατέπεσεν .... καὶ μελισσῶν ἐπεκάθηντο συνεχεῖς ἑσμοί.* Atque toto capite de talibus rebus agitur; ut a Bruto genius conspicitur et exercitui Aethiops obviam it.

Antonio calamitates imminere ex immanibus portentis cognoscitur: cf. B. C. V. c. 79: ... *πρὸς θηρίων τις ηὐρέθη δεδαπανημένος, ἄνευ τοῦ προσώπου μόνου, ... οὔτε τι βοήσας οὔτε τινὸς .... ᾐσθημένου* ...

cf. B. C. V. c. 80: *Κορνιφικίῳ* (Octaviani duci) *μὲν δὴ χειμὼν περιπλέοντι ἐπιγίγνεται, καὶ μόνη τῶν νεῶν ἡ ναυαρχὶς ἡ γενομένη Καίσαρι διεφθάρη· καὶ ἔδοξε τοῦτ' ἐς τὰ μέλλοντα σημῆναι.* Brevi autem calamitas accidit.

Unum miraculum reicit Appianus, sed videamus, qua causa permoveatur: In Mithrid. c. 53. narrat Fimbriam Troia expugnata ne Minervae quidem fano pepercisse, sed combussisse. *τὸ δὲ τῆς Ἀθηνᾶς ἕδος, ὃ Παλλάδιον καλοῦσι καὶ διοπετὲς ἡγοῦνται, νομίζουσί τινες εὑρεθῆναι τότε ἄθραυστον, ... εἰ μὴ Διομήδης αὐτὸ καί Ὀδυσσεὺς ἐν τῷ Τρωϊκῷ ἔργῳ μετήνεγκαν ἐξ Ἰλίου.*

Haec sunt exempla. Si forte quis quaesiverit, cur ne ea quidem, quae pendent ex verbo *φασίν* vel simili, enuntiata omiserim, satis memorabile est Appianum omnino rettulisse

talia. Huc accedit, ut rerum exitu plerumque confirmetur eorum auctoritas. Copia exemplorum opus erat, ut primum, quantum spatium eis dedisset Appianus, deinde, quam varia essent, illustrarem. Neque, si quis dixerit omnia ex fontibus Appianum hausisse, superstitione eum liberaverit. Itaque ad hunc exitum pervenimus: Appianum ut quemlibet antiquae pietatis Graecum superstitioni deditum fuisse.[1]). Neque vero magno opprobrio hoc ei faciemus, si consideraverimus omnibus atque iis splendidissimis temporibus fere eadem non solum rudes, verum etiam humanissimos viros credidisse. Quantum poetae, imprimis tragici, oraculis, signis, portentis tribuerint, quis est, qui nesciat? Sed etiam sapientissimus omnium Graecorum, Socrates, ea in re homo vere Graecus erat.[2])

Eorum autem, quos imitandos sibi proposuit Appianus Herodotus plerumque congruit. De quo Hoffmeisterus haec dicit[3]) „Alle Orakelsprüche erzählt Herodotos mit andächtiger Scheu, als ein Gläubiger.“ et „durch gar vielerlei Wunderzeichen .... offenbart sich das Göttliche in den Dingen.“[4]) Somnia Herodotus non tanti fecit, quanti Appianus. Repetere mihi liceat, quae Meussius[5]) scripsit: „Träume kommen allerdings nach Herodots Ansicht uicht immer *θεοῦ τινος πομπῇ*, sondern können auch einen natürlichen Ursprung haben, in welchem Falle ihnen keine vorausweisende Bedeutung beizulegen ist (VII, 16 *β*).“ Ex humani animi natura Appianus somnia nusquam ducit.

Thucydides prorsus aliter sentit arbitratus vaticinationes

---

[1]) Dominicum mecum discrepare supra ostendi. (cf. p. 31.). Similiter Wjinne: de fide et auctoritate Appiani ... Groningae. 1855. in p. 79: „... intellegimus, eum non eo usque superstitionis progredi, ut Dionis instar prodigia maximi faciat, sed fortasse magis ob religionem et ad ingenium antiquitatis demonstrandum portenta retulisse“.

[2]) cf. Zeller: l. l. II³, 1. p. 49. et 65.

[3]) cf. l. l. p. 19.

[4]) cf. ibid. p. 20. Meuss l. l. p. 8. sqq.

[5]) cf. l. l. p. 8. not.

magna dignitate non esse.[1]) Prodigia eum miratum non esse constat.[2]) Xenophon non minorem atque Appianus pietatem praestat.[3]) Contra Polybius fero omnia eiusmodi omisit.[4]) Neque tamen populo eandem animi libertatem concessit, quod rei publicae perniciei esset.[5]) Dionysius Halicarnassensis non longe recedit ab Appiano. Cuius opinionem Busseus sic describit[6]): „eorumque (sc. deorum) vis manifesta fit fulmine, tonitru, imbre (Antt. Romm. VII. c. 4. p. 1319. 8.) vel pestilentia mota (Antt. Romm. VII. c. 12. p. 1340.8) ... atque homines, qui deorum portenta negligunt, in summa pericula incurrunt (Antt. Romm. II., c. 6. p. 249. 8). Divinationis igitur artem esse censet, ..."

Plutarchus, quamquam vulgarem superstitionem insectatur, divinationem defendit.[7]) Prodigiorum nonnulla vix credibilia putat, pleraque accipit, nulla omnino reicit.[8])

Sua aetatis studiorum Appianus perticeps est. De quibus Doellingerus haec dicit[9]): „Wie weit in jener Zeit die nach Wundern gierige Leichtgläubigkeit ging, ... davon ist Alexander von Abonoteichos ein redender Beweis.

Magis ac saepius quam ex iis signis, quae adhuc enumeravimus, cognoscitur deorum potentia ex fortunis humanis vicissitudinibusque. Ac primum quidem non desint, qui arbitrentur coniungendam fuisse notionem fati, ad quod nunc transeamus, cum deorum nominibus. (cf. p. 21.). Sed alia est vis fati, quod *τύχη* ab Appiano vocatur. Nam vix usquam personae speciem habet. Ad voces *θεός*, *δαίμων*,

---

[1]) cf. Lindemann: l. l. p. 3./4. Aliter Klix l. l. in p. 10: „ohne Grund . . . wird behauptet, dass er den Weissagungen und Orakeln an sich keinen Werth beimisst: das gilt nur von den Erzeugnissen der .... Wahrsagerei. . . ."

[2]) cf. Klix. l. l. p. 25. sqq.

[3]) cf. Fabricius l. l. p. 4.—10. et Klix. l. l. p. 28.

[4]) cf. Markhauser l. l. p. 103.

[5]) cf. p. 13.

[6]) cf. l. l. p. 34.

[7]) cf. Gregorovius l. l. II. p. 398. et 415.

[8]) cf. Volkmann l. l. II. p. 256. sqq.

[9]) cf. l. l. p. 644.

δαιμόνιον saepe refertur verbum agendi aut sentiendi, ut *ἐπάγειν*, *παρόγειν*, *βλάπτειν*, *νεμεσᾶν*. Talis non est fortunae vis. Quamquam me non fugit B. C. IV. c. 49. .... *ἡ τύχη περιῆλθεν ἐς τὸ ὅμοιον ἀμφοτέροις* .... et B. C. V. c. 143: *πολλὰ τῆς τύχης εὔκαιρα παρεχούσης*, (Sex. Pompeio) ...
sed eiusmodi verba tam inania sunt, ut cum illis comparari non possint. At duobus locis personae naturam fortuna videtur habere. Quibus sententiarum hic est conexus: Cum Cassius periculo non imminente classem Caesari traderet, etsi facile potuit adversarii paucas naves interimere, haec tanta ignavia inici videbatur divinitus. cf. B. C. II. c. 89: *.. οὐδὲ ἔργον ἕτερον ἡγοῦμαι τύχης ἐν ἀπόρῳ καιρᾷ γενέσθαι μᾶλλον* ....
et eiusdem capitis finem: ... *δῆλόν ἐστι ... Κασσίῳ φόβον ὑπὸ τύχης ἐγγενέσθαι τὸν Καίσαρα ἐπαιρούσης.*

Sed et *ἔργον* et *ὑπό* et *ἐπαίρειν* verba etiam ad res a scriptoribus Graecis posita videmus. cf. Thucyd. II. c. 89, 8: *διέκπλοι τε οὐκ εἰσὶν οὐδ' ἀναστροφαί, ἅπερ νεῶν ἄμεινον πλεουσῶν ἔργα ἐστίν*, ...

cf. Xenoph. Oecon. c. III, 4: *ἀξιοθέατον τῆς οἰκονομίας ἔργον.*
Cyrop. VII. c. 1,19: *ἔργον τῆς σῆς ταχυεργίας* ....
ibid: I. c. 4,17: *τὸ ἔργον τῆς θήρας* ....
ibid. I. c. 5,8.: *ἅπερ ἔργα ἀρετῆς νομίζεται* ...
ibid. II., c. 3,11: *μάχη*, ... *ἐν ᾗ προθυμίας* .... *μᾶλλον ἢ τέχνης ἔργον ἐστί* ....

ὑπό praepositio saepissime significat idem, quod latina „prae":

cf. Herod. I. c. 85: *ὑπὸ δέους καὶ κακοῦ* ...
ibid.: *ὑπὸ τοῦ παρεόντος κακοῦ.* ...
ἐπαίρειν invenitur Thucyd III. in c. 38,2: *κέρδει ἐπαιρόμενος.* ...

II. in c. 11,2: *ἡ γὰρ Ἑλλὰς πᾶσα τῇδε τῇ ὁρμῇ ἐπῆρται.* ...

Xenoph. Cyrop. VIII. in c. 5,24: *ἐπαρθεὶς ταῖς παρούσαις τύχαις* ....

Anab. VI., in c. 1,21: *τοιαῦτα ἐνθυμήματα ἐπῆρεν αὐτὸν* ...

Huc adde, quod, si fortuna dea esset, non exstaret pluralis numerus, ut in B. C. II. c. 150: . . . . *οὐ βαρβάρων ἔτι ἀλλὰ Ῥωμαίων ἀκμαζόντων μάλιστα εὐπραξίαις καὶ τύχαις* . . . .

Quid igitur, si non dea, est *τύχη*? Obscura vis an fortuitus casus an deorum ipsa voluntas? Patet Hisp. c. 23: . . . *ὃ δὲ* (Scipio) *τόλμῃ καὶ τύχῃ πόλιν* (Carthaginem novam) . . . *ἑλὼν* . . . Cum enim singulari deorum favore uti Scipionem milites etiam antea opinarentur, et novo facinore secundo ea fiducia augeretur, dei splendidam gloriam praebere videbantur. cf. ibid.: . . . *καὶ μᾶλλον ἐδόκει κατὰ θεὸν ἕκαστα δρᾶν*, . . .

Adversae quoque fortunae dei sunt auctores Perseo regi nocentes.[1]) cf. Maced. fr. 16: . . . *καὶ σκαιὸς ἐς πάντας*[2]) *ἐγένετο, ἀρχομένης αὐτὸν ἐπιλείπειν τῆς τύχης.* Nam de eiusdem calamitate fr. 18. sic agitur: . . . *εὐμετάβολος ἤδη καὶ μικρολόγος ὑπὸ θεοβλαβείας ἐς πάντα γενόμενος.* . . . et ibid: . . . *ὁ Περσεὺς . . . πάλιν αὐτὸν ἐλαύνοντος θεοῦ*, ...

Sed quod prius dicitur *ἀρχομένης αὐτὸν ἐπιλείπειν τῆς τύχης*, existimaverit quispiam deos malevolos fieri fortunae ipsa malignitate: Non recte; nam Scipionis exemplum obstat, cui propter deorum favorem fortuna quoque secunda sit. Nisi igitur etiam Persei adversas res ad deos referimus, alter locus cum altero discrepat.

Ut divinam voluntatem fortunam intellegimus, ita negamus eam forte accidere. Quod nonnullis exemplis confirmari primo obtutu videtur. Ut B. C. I. c. 104.[3]): Sulla loquitur *εἴτε ἀπὸ συνέσεως εἴτε καὶ τύχῃ καταμαντευόμενος τῶν ἐσομένων* . . . .

et B. C. II., c. 149: . . . . *οὐ στρατηγίᾳ πεποιθότε* (Alexander Magnus et Caesar) *μᾶλλον ἢ τόλμῃ καὶ τύχῃ* . . .

et B. C. V. c. 143: *πολλὰ τῆς τύχης εὔκαιρα παρεχούσης*, . . .

[1]) Haec Persei fortunae descriptio Appiani propria est. cf. Hannak l. l. p. 176. sqq.

[2]) *πάντας* est traditum. Schweigh. in App. ed. I. p. 534. commendavit *πάντα*; sed. III. in p. 523. adnotavit: „Adeoque recte h. l. habebit (sc. Appianus) *ἐς πάντας*, nec opus erit in *ἐς πάντα* mutare.“ Tamen Mendelssohnus (in App. ed. p. 342.) *πάντα* in textum recepit.

[3]) cf. p. 30.

Sed non recte vertimus iis locis verbum *τύχη* „fortuitus casus“ sed potius in B. C. I. c. 104: „sive prudentia sive etiam divino spiritu motus.“ Altero loco, B. C. II. in c. 149., favor divinus intellegitur, quo et Alexander et Caesar praeter ceteros semper florebat. Nam uterque a deis originem ducebat. Huc accedit, ut Caesar eorum auxilio principatum expetivisse putetur. Itaque fieri non potest, ut forte consecutum esse eum potentiam Appianus censuerit.

Tertio denique loco, B. C. V. in c. 143.,[1]) videamus, quid tandem praebuerit Pompeio fortuna: magnam auctoritatem terra marique, adversariorum angustias, foedus cum tribus viris ictum. Quae omnia forte eum adeptum esse, quis est qui opinetur? Immo dei sunt auctores. Quod elucet ex eiusdem enuntiati his verbis: *ὑπὸ δὲ θεοβλαβείας αὐτὸς οὔ ποτε ἐπεχείρησε τοῖς πολεμίοις, πολλὰ τῆς τύχης εὔκαιρα παρεχούσης*, ...

Simul autem oritur altera difficultas. Nam adversari inter se videntur deus et fortuna: fortuna secundam se praebet, deus infestum. Itaque, si illam hic constituit, suae ipsius voluntati obstat, quo absurdius nihil est. Solvitur difficultas, dummodo dei consilii principalis reminiscamur. Liberam enim rempublicam Romanam interire opus est, ut principatum prosperum cives experiantur. Qua de causa et civitas Romana, qualis tum erat, premebatur augustiis, et Pompei animus caecitate tenebatur, dum duo viri potentissimi reliqui essent, Antonius et Octavianus. Hic ad extremum rerum potitus est.

Sed redeamus ad verbi *τύχη* vim, quo significari fortunae temeritatem refutare pergamus. Viri enim praeclari quidam assidua felicitate utuntur, quae vocatur *τύχη*; ut Scipio[2]), de quo supra verba fecimus, et Sulla: cf. B. C. I. c. 104: *τοσοῦτον ἦν ἐν τῷδε τῷ ἀνδρὶ τόλμης καὶ τύχης* . . . Neque igitur

[1]) cf. Vell. II. c. 79: sed virum humana ope invictum graviter eo tempore fortuna concussit.

[2]) Scipionis felicitatem plurimis admirationi fuisse intelligimus ex Polyb. X. c. 2. et ex Liv. XXVI. c. 18. Neque minus clara Sullae fuit felicitas.

minus quam *τόλμη* proprietas Sullae habetur *τύχη*. Etiam Caesar[1]) omnia bene gerebat. Quod ut supra[2]) perstrinximus ita nunc pluribus probemus: Cum enim in Libya versaretur, a Pompeianis quondam devictus esset, nisi Petreius, eorum dux, proelium finivisset. cf. B. C. II. c. 95: *καὶ τὸ μὲν ἄλλο μέρος τῆς Καίσαρος τύχης ἔργον ἐφαίνετο κρατησάντων ἄν, ὡς ἐδόκει, τῶν πολεμίων ἄφνω τὴν μάχην ὑπὸ τῶν νικώντων διαλυθῆναι* . . .

Adde, quae legimus B. C. II. in c. 66: *τύχῃ Καίσαρος λαμπρᾷ* . . . et B. C. IV. in c. 132: . . . *καὶ ζῶντα τῆς ἀρετῆς καὶ τύχης ἐθαύμαζε* (senatus Romanus), . . .

Hanc tantam felicitatem Caesar Octaviano[3]) quasi hereditate reliquit: cf. B. C. IV. c. 16: . . . *τοῦ ἑνὸς* (Octaviani) *αὐτῶν* (trium virorum) *μάλιστα ἀρετῇ καὶ τύχῃ τὴν ἀρχὴν συσησαμένου* . . .

Semper agitur non de casu, sed de constanti fortuna viros quosdam tota vita comitante. Idem convenit in B. C. V. c. 126., quo loco Lepidus potentia privatus *ἔρημος ἐκ τύχης τοσῆσδε* vocatur.

Τύχη est etiam perniciosa vis. Ut de proscriptis dicitur B. C. IV. in c. 15: . . . *ἐς πάντα σφίσι τῆς τύχης ἐπιβαρούσης* . . . Rursus est constans fortuna, non fors.

Similiter B. C. IV. in c. 129: . . . *ὁ Ἀντώνιος* . . . *τὴν τύχην ὁμοῦ καὶ τὸ ἀξίωμα τἀνδρὸς* (Bruti) *καὶ ἀρετὴν*[4]) *ἐνθυμούμενος* . . . .

In B. C. IV. c. 136. narrat Appianus inter duos fratres, Thracum principes, quorum alter liberae rei publicae Romanae, alter tribus viris studebat, convenisse, ut, qui vicisset victum servaret: . . . *τὸ ἄδηλον τῆς τύχης ἐμερίσαντο, ἵνα ὁ νικῶν περισώζοι τὸν ἡσσώμενον.*

Nihil obstat, quominus nostram interpretationem teneamus.

[1]) Caesaris felicitas saepius commemoratur in oratione, quam Dio Antonium habentem facit (cf. XLIIII. c. 40.). Plutarchus genium bonum Caesaris appellat (cf. Caes. v. c. 69.). Adde Vell. II. c. 55: „sequens fortunam suam Caesar pervectus in Africam est" . . . . „sua Caesarem in Hispaniam comitata fortuna est." — [2]) cf. p. 41.

[3]) De Octaviani fortuna cf. Vell. II. c. 74. Suetonius (Div. Aug. in c. 94.) Augusti felicitatem perpetuam appellat.

[4]) Mendelssohnus desideravit *τὴν* aute *ἀρετὴν*. cf. App. ed. p. 1047.

Praeter vocem *τύχη* nulla, si orationes hic omittimus, fortunae nomina exstant, nisi quod ipse deus, fortunae munere functus, nominatur. Sed bis fati potestas per ambitum verborum enuntiatur: Carthaginiensibus enim obsessis occasio quondam data est totius classis Romanae delendae. Neque vero usi sunt tanta rerum opportunitate stultitia quadam occaecati: *ἁλῶναι γὰρ ἔδει Καρχηδόνα* . . . (cf. Pu. c. 122.)

Similiter B. C. II. in c. 116: . . . . *ἐσῆει* (Caesar) *τῶν ἱερῶν καταφρονήσας· χρῆν γὰρ ἃ ἐχρῆν Καίσαρι γενέσθαι.*[1]).

Praemitto utroque loco Herodoti dictionem recognosci: cf. Herod. I. c. 8: *χρῆν γὰρ Κανδαύλῃ γενέσθαι*. . . . et Herod. V. c. 33: *οὐ γὰρ ἔδεε τούτῳ τῷ στόλῳ Ναξίους ἀπολέσθαι.*[2])

Sed ut ad rem transeamus, primo aliquis existimaverit illis locis Appianum cogitasse tantam fati potentiam, quanta non solum homines, verum etiam dei inferiores essent. Sed si diligentius investigaverimus, patebit, ea, quae antea de fato disseruimus, etiam hic valere. Quid enim? Nonne deorum ipsorum consilia iure nominantur necessaria? (*ἔδει — ἐχρῆν.*) Ab iis igitur et Carthaginis et Caesaris interitus constitutus est.

Haec sunt, quae ex dispersis ubique exemplis de fortunae notione ac natura concludere licet. Neque vero de ea singulariter usquam disputatur neque eius potestas comparatur cum deorum.

Si rursus aliorum scriptorum gravissimi historici de ea re quid iudicaverint, quaerimus, multa similia reperimus in Herodoti scriptis. Sed non eo modo consentit cum hoc Appianus, quo Zerdikus[3]) censet. Neuter enim habet „caecum fatalis necessitatis numen", sed etiam Herodotus[4]) fatum a deis

[1]) cf. Vell. II. c. 57: sed profecto ineluctabilis fatorum vis, cuiuscumque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit.

[2]) cf. Zerdik. l. l. p. 9. et 10. — [3]) cf. l. l. p. 10.

[4]) cf. Meuss l. l. p. 7: „Danach ist die Gottheit nicht einer Verhängnisnotwendigkeit . . . . unterworfen, sondern umgekehrt, was sie will, muss notwendig geschehen. Eine selbständige Schicksalsmacht ist für Herodot nicht vorhanden; die Götter allein bewirken alles, ..."

regi credidit. Nomina *μοίρη*, *πεπρωμένη μοίρη* in Appiani scriptis nisi in orationibus non exstant.[1])

Thucydides longe recedit ab Appiani opinione. Nam docet homines ipsos fortunam sibi parare[2]).

Xenophon fere eadem atque Appianus sensit.[3])

Polybius homines ipsos auctores secundarum et adversarum rerum esse iudicavit. Tamen non raro turbantur illorum consilia fortuna (*τύχη*). Quae non forte regitur, sed per deos. (cf. Markhauser: l. l. p. 114.)

Dionysius Halicarnassensis Stoicorum studiosus in aequo ponit rationem, deum, fortunam.[4]) Cui Appianus non assentitur.

Inter aequales Appiani Plutarchum rursus respiciamus: De quo Zellerus haec dicit:[5]) „In der Schrift über das Verhängnis, die Plutarchs Namen schwerlich mit Recht trägt, aber seiner Ansicht jedenfalls nahe steht, wird die Vorsehung ihrem letzten Grunde und ihrem ursprünglichen Wesen nach als der Wille und Gedanke des höchsten Gottes bezeichnet, der für alles sorgt.“ Itaque maxima ex parte Plutarchi atque Appiani opinio eadem est.

Quid multitudo iisdem temporibus arbitrata sit, cognoscere eo difficilius est, quo subtilior est res. Neque defuerunt, qui superius deis, neque qui inferius iudicarent fatum neque qui forte accidere multa contenderent.

Fato ad deorum voluntatem sic reducto quaeritur, qualis ea sit. Omnia a deis facta esse aut fieri non definite dicit Appianus. Magis consentaneum est miris tantum rebus gestis divini numinis eum meminisse. Mira autem et memorabilia tam multa cum publica tum privata ostendit et deis attribuit, ut satis probetur divina origine omnia esse. Exemplorum copiam perlustrantes unde ordiri rectius possumus quam ab ea deorum cura, qua prohi-

[1]) „pars“ significatur Celt. in fr. 2: *ἀνίσταται μοῖρα Κελτῶν . . . .* „factio“ B. C. IV. in c. 132: *Κάσσιος καὶ Βροῦτος . . . ὄντε τῆς Μάγνου Πομπηίου μοίρας, . . .*

[2]) cf. Lindemann l. l. p. 13. et Thuc. erkl. v. J. Classen I³, p. LX.

[3]) cf. Fabricius l. l. p. 19: „Dass alles Gute und alles Unglück von den Göttern kommt, ist allgemeine Überzeugung.“

[4]) cf. Busse l. l. p. 33. — [5]) cf. l. l. III. 2, p. 179.

beant suam dignitatem minui sacris aut laesis aut illusis?: Poenas terribiles dant eiusmodi sceleris Antariei, Illyriae gens, et Cimbri. Una enim bello vastare Delphos cupiverunt. Sed priusquam consilia perficerent, maior Autarieorum pars pestilentia periit, Cimbri terrae motu a sedibus discedere coacti sunt. Hoc modo eos Apollo ultus est. cf. Illyr. c. 4./5.

Ibidem alterum impietatis exemplum narratur: L. Scipio enim, cum bellum gereret cum Illyriis, Maedis et Dardanis pepercit non misericordia impulsus, sed corruptus auro, quod Dephis rapuerant. cf. Illyr. c. 5: *καί τις ἔφη τῶν Ἰταλικῶν συγγραφέων ὡς διὰ τοῦτο μάλιστα Ῥωμαίοις πλεόνως μετὰ Λεύκιον τὰ ἐμφύλια ἤκμασε μέχρι μοναρχίας.* Opponat mihi aliquis sic cogitasse non Appianum sed auctorem illum Latinum. At nisi illi talia probabilia aut credibilia visa essent, non dubito, quin, si non vituperasset, at tamen aliquid ipse additurus fuerit.

Apertior est superstitio Appiani Syr. in c. 66: Antiochus Veneris templum diripuisse traditur: . . . *ἐσύλησε, καὶ φθίνων ἐτελεύτησε, ...* Nemo non verterit: „spoliavit et propterea tabe periit.“ Tam breviter locutus est Appianus, quod nec ipsi rerum conexus dubius erat nec quemquam dubitare posse existimabat. Quisquis eius enuntiati structuram spectaverit, Dominicum nimis laudasse illum concedet.[1])

Aliud exemplum exstat Samnit. in fr. 12: Pyrrhus, rex Epiri, Proserpinae aedem diripuit atque pietatem illusit: *ἐπισκώψας τὴν ἄκαιρον θεοσέβειαν εἶναι δεισιδαιμονίαν, τὸ δὲ συλλέξαι πλοῦτον ἄπονον εὐβουλίαν.* Quo facto naves eius multae procellis demerguntur: *τὰ δὲ ἱερὰ πάντα σῶα ὁ κλύδων ἐς τοὺς Λοκρῶν λιμένας ἐπανήγαγεν, ὥστε καὶ Πύρρον ὀψὲ τῆς ἀσεβείας αἰσθόμενον ἀναθεῖναί τε αὐτὰ ἐς τὸ ἱερὸν τῇ Περσεφόνῃ. . . .*[2])

[1]) cf. p. 31.

[2]) Quam propria Appiani haec sint, Hannakius (l. l. in pag. 101.) demonstrat comparans cum Dionysii exc. IV. p. 2361. sqq. (ed. R.). Dionysius rerum necessitate Pyrrhum commotum esse tradit (*τὴν ἀνάγκην κρείττονα παντὸς ἡγησάμενος*), Appianus rhetorum ritu addit *ἐπισκώψας* sq. Procellarum impetum uterque pariter commemorat. Sed de industria Appianum videri vitare auctoris verba Hannakius ostendit. Dionysii haec sunt verba: *ἄνεμος*

Caesaris caedem ἄγος nominari pluribus locis, supra[1]) diximus. Etiam coniuratorum interitus ideo accidit, quod sacrum virum interfecerant. cf. B. C. IV. c. 134: .... *καὶ γὰρ ἐς φίλον ἐγίγνετο παραλόγως .... καὶ ἐς ἱερέα καὶ ἱερὰν ἑσθῆτα ἐπικείμενον .... ἃ καὶ τὸ δαιμόνιον αὐτοῖς ἄρα ἐνεμέσησε ....*

Eadem sacrorum cura moti dei praesidium praebent, si quis periculis non deterritus debitis honoribus eos colit. Itaque Dorso, Vestae sacerdos, mirabiliter servatur. cf. Celt. fr. 6.[2])

Secundum ipsorum cultum honoresque deis magnae curae est, ne leges communes ut non scriptae ita aeternae ab hominibus neglegantur. Si humanorum iudicum potestas non sufficit, dei, summi iudices, scelera ulcisci suscipiunt. Ut cum populus potentissimus, opinatus ab omni supplicio se esse tutum, sacrum ius gentium violavit, graves poenas persolvit, etiamsi tantopere diligitur a deis quantopere Romanus. Qui cum bello non indicto Samnitium gentem oppressisset, divinam iram ad Caudium brevi expertus est; ubi exercitus non modo victus, verum etiam sub iugum missus est. cf. Samnit. fr. 4,2: ... *θεὸς δ'ἐνεμέσησε τῆς μεγαληγορίας, καὶ ὕστερον ἡττήθησαν ὑπὸ Σαννιτῶν καὶ ὑπὸ ζυγὸν ἤχθησαν οἱ Ῥωμαῖοι.*[3])

Eandem inuriam populus Romanus passus Senones, quod iure gentium laeso legatos Romanos crudeliter necaverant, delevit. cf. Celt. fr. 11: *καὶ δίκῃ μὲν ἥδε παρανομίας ἐς πρέσβεις ἐγένετο Σένοσιν.* Quamquam, quoniam in fine fragmenti haec verba posita sunt, fieri potuit, ut ab excerptore inserentur.[4])

δ'ἐναντίοις γενόμενος .... ἃς μὲν κατέκλυσεν, ἃς δ'εἰς τὸν τῆς Σικελίας πορθμὸν ἐξέβαλεν, ἐν αἷς δε παρεκομίζετο τὰ ἀναθήματα καὶ ὃ προενεχθεὶς ἐκ τῶν ἀναθημάτων χρυσὸς, ἐπὶ τοὺς Λοκροὺς ἐξώτειλεν αἰγιαλοὺς .... Ea quoque, quae sequuntur, Appianus mutavit. Pro simplici verbo *καταπλαγεὶς* pietati suae indulgens scripsit *ὀψὲ τῆς ἀσεβείας αἰσθόμενον.* cf. Hannak l. l. p. 102.

[1]) cf. c. I. — [2]) cf. p. 121.

[3]) Appianum deum induxisse patet Dionis fr. XXXVI., 10.

[4]) cf. p. 32. not. 1.

Non minus grave scelus est perfidia, qualem Papirius Cursor exercet in Teutonos foedere confisos. Neque igitur effugit iratos deos. cf. Celt. fr. 13:.. *ἔδωκε δίκην ἀπιστίας.*

Similiter peccavit Crassus impetu in insontes populos facto, ut, avaritia insatiabili impulsus, divitias augeret. Qui eo maiore supplicio dignus erat, quod ne exsecrationibus quidem tribunorum publicis ab eo bello deterritus est. cf. B. C. II.. c. 18:... *οἱ δήμαρχοι .... δημοσίας ἀρὰς ἐπηρῶντο, ὧν ὁ Κράσσος οὐ φροντίσας ἀπώλετο ...*[1])

Eadem, qua populi, superbia interdum se efferunt principes opinati communibus pietatis legibus ligatos se non esse. Sed si homines infirmiores sunt, quam ut in tales consulant, dei eiusmodi insolentia offenduntur. Itaque Antiochus Pius, cum eam, quae et patris et patrui uxor antea fuerat, in matrimonium duxisset, a Tigrane pulsus est: cf. Syr. c. 69: *τοιγάρτοι αὐτὸν θεοῦ μετιόντος ἐξήλασε τῆς ἀρχῆς Τιγράνης.*

Etiam saepius caede commissa summarum legum illarum custodes dei apparent. Maximum huius iustitiae exemplum Caesaris interfectorum est interitus.[2]) cf. B. C. II. c. 154 *συνέβη δὲ αὐτῷ* (Caesari) *καὶ τῶν ἐς τὸ σῶμα ἐπιβουλευσάντων*

---

[1]) Plutarchus (cf. Crass. v. c. 16.) tribunorum exsecrationes commemorat, dictione cum Appiano discrepat.

[2]) cf. Plut. Caes. v. c. 69: „*Ὁ μέντοι μέγας αὐτοῦ δαίμων, ᾧ παρὰ τὸν βίον ἐχρήσατο, καὶ τελευτήσαντος ἐπηκολούθησε τιμωρὸς τοῦ φόνου, διά τε γῆς πάσης καὶ θαλάττης ἐλαύνων καὶ ἀνιχνεύων ἄχρι που μηδένα λιπεῖν τῶν ἀπεκτονότων, ἀλλὰ καὶ τοὺς καθ' ὑτιοῦν ἢ χειρὶ τοῦ ἔργου θιγόντας, ἢ γνώμης μετασχόντας ἐπεξελθεῖν. Μάλιστα δὲ τὸ Βροίτῳ γενόμενον φάσμα τὴν Καίσαρος ἐδήλωσε σφαγὴν οὐγενομένην θεοῖς ἀρεστήν.*“

Adde Dion. XLVIII, c. 1. ”*Ὁ μὲν οὖν Βροῦτος ὅ τε Κάσσιος οὕτως ἀπώλοντο .... οἵ τε ἄλλοι ... μετασχόντες ... πλὴν πάνυ ὀλίγων ἐφθάρησαν, ὥς που τότε δίκαιον ἔφερε καὶ τὸ δαιμόνιον ἦγεν ἄνδρα αὐτοὺς εὐεργέτην σφῶν ἐς τοσοῦτο καὶ τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς τύχης προχωρήσαντα ἀποκτείναντας παθεῖν.*“

De Bruto cf. Vell. II. c. 54: „iustissimasque .. poenas dedit, ...“

de M. Bruto cf. ibid. c. 71: Hunc exitum M. Bruti fortuna esse voluit.

cf. denique Sueton. Div. Jul. c. 89. „Percussorum autem fere neque triennio quisquam amplius supervixit, neque sua morte defunctus est. Damnati omnes alius alio casu periit ...“ — Sententia igitur ipsa pervulgata erat. Appianus antem eam prorsus suam reddidit et suo modo tractavit et praedicavit.

μηδένα διαφυγεῖν, ἀλλὰ τῷ παιδὶ (Octaviano) *δοῦναι δίκην ἀξίαν, καθάπερ Ἀλεξάνδρῳ τοὺς Φίλιππον ἀνελόντας. ὅπως δὲ ἔδοσαν, αἱ ἑξῆς βίβλοι δεικνύουσιν.* Qua re totum, quod secutus est, bellum divinam coniuratorum poenam ab Appiano haberi patet. Atque, quotienscunque ex iis unus periit, denuo ostendit iustitiam deorum assidue progredientem. cf. B. C. III. c. 26: *καὶ πρῶτος ὅδε* (Trebonius) *τῶν φονέων δίκην τήνδε ἐδεδώκει.*

B. C. III. c. 98: *καὶ δεύτερος τῶν σφαγέων οὗτος* (Brutus) *ἐπὶ Τρεβωνίῳ δίκην ἐδίδου . . . τῷ δ'αὐτῷ χρόνῳ καὶ Μινούκιος Βάσιλος, σφαγεὺς καὶ ὅδε Καίσαρος, ὑπὸ τῶν θεραπόντων ἀνῃρέθη. . . .*

B. C. IV. c. 1: *Δύο μὲν δὴ Γαΐου Καίσαρος φονεῖς οὕτω δίκην . . . ἐδεδώκεσαν, Τρεβώνιος . . . καί Δέκμος . . . . ὅπως δὲ ἔδοσαν Κάσσιός τε καὶ Βροῦτος, . . . ἡ τετάρτη τῶν ἐμφυλίων ἥδε ὑποδείκνυσιν.*

Eius supplicii deos esse auctores, si non semper propriis verbis significatur, certe cogitatur. Quod elucet ex B. C. IV. c. 134.) Ibidem dicit Appianus immaniorem fuisse Caesaris caedem, quam ut magnis Cassii et Bruti virtutibus compensaretur aut dei placarentur. *ἀλλὰ καὶ τοιοῖσδε οὖσιν αὐτοῖς ἀντίθετον ἐς ἅπαντα ἦν τὸ ἄγος τὸ ἐς Καίσαρα.*

Fieri potest, ut sero consequatur poena eum, qui alterum interfecit; ut matrem Antiochi Grypi, quae multis flagitiis commissis veneni poculum haurire tandem debebat: cf. Syr. c. 69: *ἡ μὲν δὴ δίκην ποτὲ ἔδωκεν* . . . . . .

Alios non uno impetu universa poena affligit, sed mora quadam interposita denuo premit. Ut ei, qui excitati crudeli Mithridatis iussu sescentos Romanos interfecerunt ac ne templis quidem temperaverunt, duplici supplicio afficiuntur: cf. Mithr. c. 23: *ἀλλ' οὗτοι μὲν δίκην ἔδοσαν διπλῆν, αὐτοῦ τε Μιθριδάτου μετ' ὀλίγον ἀπίστως ἐξυβρίσαντος ἐς αὐτούς, καὶ ὕστερον Κορνηλίῳ Σύλλᾳ·* . . . .

Hac ratione dei iusti vindices sunt et legum summarum severi custodes. Apertissime igitur in tantis rebus deorum potentia ostenditur. Sed alia quoque permulta, quae minora sunt, numini divino Appianus tribuit. Quid-

[1]) cf. p. 46.

quid enim boni aut mali in vita humana accidunt, ad illud refert, etiamsi aliae causae multo simpliciores facile cognoscuntur.

Ac primum quidem viri quidam favore deorum perpetuo omnia bene perficiunt: Ac ne quis putet singulos tantum eiusmodi felicitate florere, totus populus Romanus caelestium beneficiis perpetuis summam potentiam, qua totum fere orbem terrarum complectebatur, debebat. In B. C. IV. c. 16.[1]) legimus imperii Romani condicionem prosperam diu (*ἐκ πολλοῦ*) praeparatum deorum munus esse. Quam ob rem, cum in periculis magnis aut tota civitas Romana aut cives versantur, laborantes auxilio subito in tempore divinitus liberantur. A Pallantiis copiae Romanae quondam occisae essent, nisi deus hostes victoriam tantum non adeptos commovisset, ut se reciperent: cf. Hisp. c. 82: . . . *οἱ δὲ Παλλάντιοι θεοῦ σφᾶς ἀποτρέποντος ἀνεχώρουν.*

Perniciosissimum autem nominis Romani hostem, Hannibalem, Italia non sustinuisset, nisi deorum praesidio adiuta. Tum, cum in eo erat, ut Romam ipsam aggrederetur, deus alias in regiones consilio mutato eum vertit: cf. Hannib. c. 12: *Ἀννίβας δέ, θεοῦ παραγαγόντος*[2]) *αὐτόν, ἐπὶ τὸν Ἰόνιον αὖθις ἐτράπη,* . . . .
Similiter Hannib. in c. 40: *ἀναστρέψαι δ'ἐς Καπύην, εἴτε θεοῦ παράγοντος αὐτὸν ἀεὶ ὡς καὶ τότε, εἴτε* . . . .

Singulares viros felicitate singulari inter ceteros excellere saepius perstrinximus.[3]) Alexandri, Scipionis, Sullae, Caesaris, Octaviani nomina hic profero. Etiam Hannibal uno loco in iis numeratur: cf. Hannib. c. 39: . . . *στρατηγοῦ δι' ἀρετὴν καὶ εὐτυχίαν ἀμάχου.*

Genus auxilii pluribus raro significatur. Ut Octaviani gratia ventus secundus ortus est, quo pulsae naves eius onerariae hostium insidias effugerunt. Quod si quis quaerat,

[1]) cf. c. I.

[2]) Mendelssohnus (in App. ed. p. 156.) mutavit in *παράγοντος*, quod opus non est.

[3]) cf. p. 41. sqq.

utrum ab uno deo summo, qui omnia administret, an ab geniis quibusdam singulorum auxilium originem capiat, de hac re non magis agit Appianus, quam de deorum aut geniorum natura. Itaque longum est disserere ea, quorum idonea argumenta desint. Immo eis rebus relictis videamus, quae alia per deos accidant:

Regunt etiam animos hominum, sive divinum spiritum iniciunt cum vatibus tum aliis ita, ut oracula edant aut sua fata suspicentur, sive consilia excitant; ut, cum Hannibal Romanos fallere constituisset, Fulvius prudentia pericula, quae imminebant, effugit: cf. Hannib. c. 42: ... *εἰθ' ὑπ' οἰκείας τότε συνέσεως, εἴτε θεολήπτῳ γνώμῃ προσπεσών, εἴτε* ....

Octavianus et Antonius deo auctore reconciliati sunt: cf. B. C. V. c. 94: *κατὰ δαίμονα δ' ἀμφοτέρων προσιόντων* ....

Clade ad Dyrrhachium accepta legatos Caesaris vehementer paenitebat, quod eum invitum impulissent, ut proelium iniret. Quam paenitentiam divinitus ortam esse Appianus existimat: cf. B. C. II. c. 63: *οἳ δέ, θεοῦ σφᾶς ἐπὶ μετάνοιαν ἄγοντος, τὸ ἁμάρτημα ᾐδοῦντο*, ...

Si secundis rebus pertractatis ad mala, quae deorum ira fiunt, spectamus, omnia fere ea continentur notione, quae a Graecis nominabatur *θεοβλάβεια*. Ut statim breviter definiamus, hoc verbo damnum homini alicui a deo illatum significatur. Quale autem illud damnum sit, exemplis, quae adsunt, ordine perlustratis investigandum est:

Ordiamur a continuo damno divino. Cuius alterum exemplum est Pompei calamitas. Nam cum Caesar plurima bene gereret, fieri non potuit, quin Pompeius adversis rebus semper affligeretur: cf. B. C. II. c. 67: *ἐξέστη τῶν οἰκείων λογισμῶν .... θεοῦ βλάπτοντος ἤδη καὶ τἆλλα παρ' ὅλον τόνδε τὸν πόλεμον.*

Eadem de causa in pugna Pharsalica Pompei animus perturbatur. cf. B. C. II. c. 81: *Πομπήιος .... ἔκφρων αὑτοῦ γενόμενος .... ὑπὸ θεοβλαβείας.*

Primo obtutu aliquis opinetur deum in Pompeium crudeliter se gessisse. Sed considerantes, quo consilio tota Appiani historia quasi perfusa sit, ad aliam sententiam adducimur:

Persuaserat enim sibi deum voluisse populum Romanum potentissimum reddere; quod ut perficeretur, principatu opus fuisse. Itaque Caesari et eius studiosis viris et Octaviano favisse deum, adversarios perdidisse et suo consilio et imperii Romani saluti obstantes. Nam qui fieri potuisse, ut, quae deus sapientissime instituisset, ab hominibus infirmis imprudentibusque impedirentur? Qua de causa Pompeium perire necesse fuisse, non quo ipse deo invisus esset, sed quod, nisi perisset, utilissima perfecta non essent.

Ei consilio divino etiam naturae vires serviunt. In Aegyptum enim ventis Pompeius fertur: cf. B. C. II. c. 84: ... *καί πως κατὰ δαίμονα ἐς τὸ Κάσιον τὸ πνεῦμα τὸν Πομπήιον κατέφερεν.*[1])

Neque minus congruit cum eodem consilio somnium illud, quo decipitur: cf. B. C. II. c. 69.[2]). Sed quamdiu verae Romanorum saluti Pompeius studebat, magnam gloriam rebus gestis adipiscebatur. Nam externis hostibus victis cum patriae potentiam augeret, exsequebatur, quae deus volebat. cf. B. C. II. c. 86: ... *ἀηττήτῳ καὶ εὐτυχεστάτῳ ἐξέτι νέου γενομένῳ* ...

Alterum continuae miseriae exemplum exstat B. C. IV. in c. 15: Proscriptorum enim alii occisi sunt, alii incolumes effugerunt, alii naufragio perierunt *ἐς πάντα σφίσι τῆς τύχης ἐπιβαροίσης*, ... Hac ratione, qui principatui a deo constituendo resistebant, partim mortem obierunt partim salutem et reditum in patriam nancti sunt, ubi primum periculum iam non fuit, ne pauci superstites novis rebus studerent. Huc adde B. C. IV. c. 21., in quo de proscriptis sic agitur: ... *οὕτω ταῖς τότε συμφοραῖς καὶ τὸ δαιμόνιον ἐπέκειτο.* ....

At qui fieri potuit, ut Octaviani, amici deorum, naves malacia orta ab hostibus interciperentur? cf. B. C. IV. c. 115: ... *ὑπό του θεῶν ἐκδεδομέναι τοῖς πολεμίοις.* Utrum hoc detrimento dei ipsi sibi obstare videntur an ea clades Octaviano

---

[1]) cf. Plut. Pomp. v. c. 76: *εἰ δή τις ἔτι Πομπήιον λογισμὸς, ἀλλ' οὐχὶ δαίμων ἐκείνην ὑφηγεῖτο τὴν ὁδόν.*

[2]) cf. p. 35.

commodo est? Quam difficultatem solvere non possumus, nisi proxima capita spectamus. Nam, qui liberam rem publicam restituere cupiebant, illa victoria tanto pugnandi studio inflammati sunt, ut invitum Brutum proelio decertare cogerent: cf. B. C. IV. c. 123. — Superbiae pleni ut erant non intellegebant se facile posse fame hostes terere. Pugnare malebant cum hoste desperato et ultima necessitate presso, et devicti sunt: cf. B. C. IV. c. 125: *ὧδε μὲν δὴ καὶ ὁ Βροῦτος ἐξῆγεν ἄκων* . . . Sic victoria prior adversariis Caesaris Octaviani perniciei erat. Deus autem idem consilium, quod supra ostendimus, constanter perfecit.

Haec hactenus. Aliorum exemplorum hic omittimus, quod exstat Illyr. cap. 4. et 5.[1])

Deinde *Θεοβλάβεια* patet, cum totus alicuius animus divinitus a deo perturbatur, ut non modo perverse, verum etiam nefarie se gerat. Quod docetur Persei, Macedonum regis, exemplo. Nam cum praeclara esset indole, uno flagitio in scelera et calamitates tractus est: cf. Maced. fr. 16: . . . *Νικίαν καί Ἀνδρόνικον . . . . ἀπέκτεινεν ἀθεμίστως, καὶ ἀπὸ τοῦδε εὐθὺς ἐκ μεταβολῆς ὠμὸς καὶ εὐχερὴς ἐς ἅπαντας ἐγένετο, καὶ οὐδὲν ὑγιὲς οὐδ' εὔβουλόν οἱ ἔτι ἦν, ἀλλ' ὁ πιθανώτατος ἐς εὐβουλίαν καὶ λογίσασθαι δεξιὸς καὶ εὐτολμότατος ἐς μάχας, ... ἀθρόως τότε καὶ παραλόγως ἐς δειλίαν καὶ ἀλογιστίαν ἐτράπετο, καὶ ταχὺς καὶ εὐμετάθετος ἄφνω καὶ σκαιὸς ἐς πάντας*[2]) *ἐγένετο, ἀρχομένης αὐτὸν ἐπιλείπειν τῆς τύχης. ὅπερ ἔστι πολλοὺς ἰδεῖν, μεταβολῆς προσιούσης*[3]) *ἀλογωτέρους γιγνομένους ἑαυτῶν.*

Scelesta igitur caedes regis animum mutavit.[4]) Quae mutatio Maced. in fr. 18,1. *Θεοβλάβεια* nominatur: *καὶ ὁ Περσεὺς . . . εὐμετάβολος ἤδη καὶ μικρολόγος ὑπὸ Θεοβλαβείας ἐς πάντα γενόμενος.*
et Maced. in fr. 18,2: . . . . *ὁ Περσεὺς . . . . πάλιν αὐτὸν ἐλαύνοντος Θεοῦ*, ...

[1]) cf. p. 20.
[2]) cf. p. 40.
[3]) Sic Schweighaeuserus pro *προϊούσης*. (cf. App. ed. indic. s. v. *πρόσειμι*.)
[4]) Aliter descripsit Persei mores Polybius in l. XXIX. fr. 6. cf. Hannak. l. l. p. 177.

Plurimum interest propter scelus damnum accidere. Neque vero propter id solum, sed dei idem studium, quo Romanorum potentia semper aucta est, etiam hic notandum est. Perseus ei resistens periit.

Eadem de causa Antiochum regem vinci necesse est: cf. Syr. c. 28: . . . *Θεοῦ βλάπτοντος ἤδη τοὺς λογισμούς, ὅπερ ἅπασι προσιόντων ἀτυχημάτων ἐπιγίγνεται, Χερρόνησον ἐξέλιπεν ἀλογίστως* . . . . Sed antea eiusdem mores sic describuntur: *ἀλλ' ὁ Ἀντίοχος ὢν καὶ τἆλλα κουφόνους ἀεὶ καὶ ταχὺς ἐς μεταβολήν*, . . . Et talium morum poena et favor, quem dei Romanis praebent, regis miseriae satis magnae causae sunt.

Ut totius mentis perturbatione ita singulis consiliis malis deus hominibus nocet. Ut Pompeius bellum civile confecturum fuisse putat Appianus, si pugnae ad Dyrrhachium commissae fructus magis percepisset. Sed si hoc fecisset, Caesar, qui principatum instituturus erat, impeditus esset, ne fatum exsequeretur. Itaque facta est *Θεοβλάβεια*. Labienus enim perverse suadet Pompeio, ut fugientes persequeretur: cf. B. C. II. c. 62: . . . *Λαβιηνὸς αὐτὸν, Θεοῦ παράγοντος, ἐπὶ τοὺς φεύγοντας ἔπειθε τραπῆναι* . . . Eodem modo, quisquis ingentem rerum progressum tardare conatur, Caesari aut eius amicis se opponens, perniciem effugere non potest; ut Cassius et Sex. Pompeius, quorum animos a deo turbatos esse supra[1]) exposuimus; ut etiam Antonius amicis recte suadentibus non obsecutus: cf. B. C. III. c. 72: . . . *ὁ δὲ Ἀντώνιος, ἤδη Θεοῦ βλάπτοντος, ἐδεδοίκει* . . .

Extremum ac gravissimum Ciceronis exemplum ordinem finiat: In B. C. III. c. 61. narrat Appianus senatum Romanum, cum referretur de discidio inter Antonium et D. Brutum orto, decrevisse litteris Antonium comiter hortari, ut inimicitiis desisteret. Sed Ciceronem epistulam scribere iussum Antonium magis excitavisse. Nam deum constituisse, ut bello perirent Caesaris interfectores et principatus oriretur: *οὕτω μὲν*

[1]) cf. p. 39.

φιλονείκως τε καὶ ψευδῶς τὰς[1]) *ἐντολὰς ὁ Κικέρων συνέγραφεν, ... ὡς ἔοικε, τοῦ δαιμονίου τὰ κοινὰ ἐς μεταβολὴν ἐνοχλοῦντος καὶ αὐτῷ Κικέρωνι κακῶς ἐπινοοῦντος.*

His tot exemplis prolatis, quale sit dei voluntate allatum damnum, definire licet. Primum quaeritur, num merito accidat et deus, ut alias, iustus ab Appiano habeatur. Quod concedendum est, si cum populum Romanum tum principatum merito semper iuvari Appianus existimat. Quam eximia virtute Romani omnibus temporibus divino favore dignos se praestiterint, praedicat Prooem. c. 11.[2]); ubi laudat prudentiam fortitudinem, constantiam, modestiam, quibus ceteras gentes anteierint. De principatu cf. Prooem. c. 7.[3])

Quoniam igitur iusto consilio fortuna a deis regitur, nemo resistere debet. Simul plerumque coniungitur cum hac necssitate culpa eorum, qui calamitate affliguntur. Ubi non patet, inscii homines sublimi dei sapientiae obnoxii sunt.

Genus quoddam irae deorum est invidia (*φθόνος*). Cuius duo exempla sunt. Alterum est Aemilii Paulli: cf. Maced. fr. 19: *ὅτι*[4]) *Παύλῳ ἐπ' εὐτυχίας τοσῇδε γενομένῳ τὸ δαιμόνιον ἐφθόνησε τῆς εὐτυχίας.*[5]) Quae verba cum in initio fragmenti legantur, incertum est, utrum Appiani ipsius sint an ab excerptore addita.[6]) Accedit, ut, quae superioribus capitibus narrata erant, servata non sint. Itaque nescimus, num sine ulla causa haec invidia acciderit. Multo verisimilius est pro pietate Appiani, deorum iram aliquo modo declaratam fuisse. Si meminerimus uno die Aemilium Paullum septuaginta Epiri oppida diripienda militibus dedisse et centum

---

[1]) *τὰς* addidit Schweighaeuserus (cf. App. ed. II. p. 480.).

[2]) cf. c. I.

[3]) cf. c. I.

[4]) quo verbo omnia eius generis fragmenta incipiunt.

[5]) Livius (cf. XLV. c. 40.) Paulli fortunam appellat documentum humanorum casûm. Plutarchus eandem sententiam, quam Appianus, aliis verbis descripsit: cf. Aem. Paull. v. c. 34: *πλὴν εἴ τι δαιμόνιον ἄρα τῶν μεγάλων καὶ ὑπερόγκων εἴληχεν εὐτυχιῶν ἀπαρύτειν, καὶ μιγνύναι τὸν ἀνθρωπινον βίον, ὅπως μηδενὶ κακῶν ἄκρατος εἴη καὶ καθαρὸς ....*

[6]) cf. Hannak l. l. p. 45.

quinquaginta milia civium in servitutem abduxisse[1]), tanta crudelitate ira dei excitari facile potuit[2]).

Alterum invidiae exemplum invenitur in B. C. V. c. 128: Octavianus, postquam ultimum adversarium, Sex. Pompeium, superavit, magna felicitate florebat: *ζήλου δὲ αὐτῷ γέμοντι ἐπὶ τούτοις τὸ δαιμόνιον ἐνεμέσησε τοῦ ζήλου, καὶ ὁ στρατὸς ἐστασίασεν, ..* — *ζῆλος* hic idem est, quod felicitas. Irascitur autem deus, quod nimiam fiduciam Octavianus praebuit victoriae praemiis exercitui donatis, aliis promissis, coronis honoribusque inter omnes iam distributis: cf. B. C. V. c. 127. Quam fiduciam immaturam fuisse brevi cognovit.

Φθόνος θεῶν igitur non est talis invidia, qualem in hominibus interdum animadvertimus, sed potius indignatio deorum iustis causis excitata.

Sic apparet numquam nocere deos libidine quadam impulsi, sed sapientia et iustitia[3]).

Item, si, quae alia faciunt, spectamus, nulla iniuria dignitas divina maculatur. Impietatem cuiusvis generis puniri supra explicuimus[4]). Neque minor verecundia deis debetur, quod eos, qui virtute antecellunt, praemiis donant. Quamquam non tam saepe talia commemorantur. Primum rursus nominamus populum Romanum. Summa per multa saecula felicitate utitur, quod virtute ex antiquissimis temporibus ceteris gentibus praestitit. Viri illi, quos fere omnia bene gessisse saepius diximus, non fortuna sola, sed virtute et fortuna (*ἀρετῇ καὶ τύχῃ*) magna adipisci solent. Ut Scipio *τόλμῃ καὶ τύχῃ* Carthaginem novam expugnavit: cf. Hisp. c. 23. De Sulla dicitur B. C. I. in c. 104: *τοσοῦτον ἦν ἐν τῷδε τῷ ἀνδρὶ*

---

[1]) cf. Plut. Aem. Paulli v. c. 29.

[2]) cf. Plut. ibid. c. 30: *Αἰμίλιος μὲν οὖν τοῦτο πράξας μάλιστα παρὰ τὴν αὑτοῦ φύσιν. . . .*

[3]) Talis est etiam Aeschyli pietas: cf. Dronke: Die religiösen und sittlichen Vorstellungen des Aeschylos. (in: Jahrbücher f. class. Philol. ed. Fleckeisen. vol. supplem. IV.) p. 38: „Also 1.) Freier Wille des Menschen in der Wahl zwischen Gutem und Bösen. 2.) Ohne eigene Schuld keine Strafe von der Götter Hand. 3.) Erst wenn der Mensch sich aus eigenem Antrieb in Frevelmuth gegen die Gottheit aufgelehnt hat, treibt ihn diese durch Verblendung seines Sinnes zu neuem Untergang bereitendem Frevel ....."

[4]) cf. p. 44. sqq.

τόλμης καὶ τύχης, de Alexandro et Caesare in B. C. II. c. 149: *πεποιθότε ... τόλμῃ καὶ τύχῃ*. Caesaris admirabatur senatus virtutem et felicitatem: cf. B. C. IV c. 132: .... *τῆς ἀρετῆς καὶ τύχης ἐθαύμαζε* ... Octavianus principatum nactus est *ἀρετῇ καὶ τύχῃ*. (cf. B. C. IV. c. 16.).

Neque forte accidisse arbitror, ut semper diceretur *ἀρετὴ καὶ τύχη*, numquam *τύχη καὶ ἀρετή*. Nam virtus prior a deis postulatur; tum favent; aut, ut breviter loquar, felicitas virtute efficitur. Accedit, quod una cum illis viris populum Romanum dei, ut solent, efferunt.

Unum denique exemplum exstat, quo calamitatem felicitate compensari confirmatur. Gravior enim clades Cannensis deis videbatur; itaque victoria praeclara, quam Romani ab Hasdrubale reportant, detrimentum sarciunt et in bonum vertunt: cf. Hannib. c. 53: *θεὺς δέ μοι δοκεῖ τόδε Ῥωμαίοις ἀντιδοῦναι τῆς ἐπὶ Κάνναις ἀτυχίας*, ... [1])

Quae cum ita sint, repetimus deos semper esse iustos et culpa vacare.

Res humanae, cum multis ac magnis mutationibus obnoxiae sint, mobiles et caducae Appiano esse videntur: cf. Pu. c. 82: *τοὺς δὲ ὑπάτους ἐσῄει μὲν οἶκτος ἀνθρωπίνης μεταβολῆς*[2]).

Quid vero magis idoneum erat, quod pii historici animum commoveret, quam Caesaris, viri potentissimi, miser exitus? cf. B. C. II. c. 118: *τρεῖς θεράποντες μόνοι ... τὸ σῶμα ... διεκόμισαν οἴκαδε ἀνωμάλως, οἷα τρεῖς τὸν πρὸ ὀλίγου γῆς καὶ θαλάττης προστάτην.*

Etiam D. Bruti turpem mortem sic narrat Appianus, ut de industria describat magnam fortunae mutationem: cf. B. C. III. c. 98: *τοῦτο Δέκμῳ τέλος ἦν, ἱππάρχῳ τε Καίσαρος γενομένῳ καὶ ἄρξαντι τῆς παλαιᾶς Κελτικῆς ὑπ' ἐκείνῳ, καὶ*

[1]) Dei numen Appianus ipse attulit. cf. Liv. XXVII. c. 49: „redditaque aequa Cannensi clades vel ducis vel exercitus interitu videbatur." et Zon. IX. c. 9. (p. 433.): „*ἱκανῶς τὴν Καννῖδα συμφορὰν ἀνειληφέναι ἐνόμισαν.*"

[2]) Non idem a Polybio refertur. cf. fr. 127. ed. Bekk. Itaque dubito an Appianus hic aliter senserit. Nec Diodorus sic narrat. (cf. XXXII. fr. 6.)

ἐς τὸ μέλλον ἔτος ὑπατεύειν ὑπ' αὐτοῦ κεχειροτονημένῳ καὶ τῆς ἑτέρας Κελτικῆς ἄρχειν.

Similiter illustratur Lepidi potentia infracta: cf. B. C. V. c. 126: *οὕτω Λέπιδος ... ἔρημος ἐκ τύχης τοσῆσδε καὶ στρατοῦ τοσοῦδε ἐγίγνετο ἐν βραχεῖ.* Quod brevi post magis extenditur: *ὃ μὲν δὴ καὶ αὐτοκράτωρ πολλάκις καὶ τῶν τριῶν ἀνδρῶν γενόμενος, ἄρχοντάς τε ἀποφήνας,καὶ προγράψας ἐπὶ θανάτῳ τοσούσδε ὁμοτίμους, ἰδιωτεύων καὶ ἐνίοις τῶν προγραφέντων ἄρχουσιν ὕστερον παριστάμενος διεβίωσεν.* Animi motu et artis oratoriae studio hoc loco historici dictio variatur ac coloratur.

Natura ipsa deorum Appiano fere eadem esse videtur atque Herodoto. De quo Hoffmeisterus haec dicit:[1]) „Und da wird dann im Leben nichts Bedeutendes vollbracht, ohne diese Mitwirkung der Götter ..."
et de iustitia deorum[2]) : „zwei ... Hauptlaster, welche die sicherste Strafe der Götter trifft, nämlich Ungerechtigkeit und Gottlosigkeit". Continua felicitate homines quosdam uti ostendit Herodotus Cyri exemplo[3]) et Amasios, regis Aegypti[4]). Quotiens autem adversas res Herodotus ad deos refert, totiens iusta earum causa adest.[5]). Ne invidia quidem dignitas divina minuitur[6]). Idem docet pariter distribui bona et mala[7]).

Omnia humana esse caduca tam vulgata ex antiquissimis temporibus[8]) opinio fuit, ut alterum scriptorem ex altero hausisse nemo contendat.

Thucydidem fere nihil valuisse ad Appiani rationem rursus apparet. Ut publica aut privata raro a deis ducit, ita tam varia eorum potentia, quam Appianus ostendit, non exstat. Sed etiam a Thucydide semper tenetur iustitia divina[9]).

Xenophon, sicut Appianus, bona et mala deorum

[1]) cf. l. l. p. 17. — [2]) cf. ibid. p. 73.
[3]) cf. Herod. I. c. 126. et I. c. 209.
[4]) cf. Herod. III. c. 10.
[5]) cf. Meuss. l. l. p. 12. sqq. — [6]) cf Meuss. l. l. p. 14. sqq.
[7]) cf. Hoffmeister l. l. p. 21.—28.
[8]) cf. Hesiodi. Op. et Di. v. 5.—8. et Herod. I. c. 5.
[9]) cf. Lindemann. l. l. p. 15.

voluntate dari censet[1]). Eidem iusti habentur, quorum poenas effugere nemo possit[2]). Quisquis infaustis sacrificiis admonitus consilio non desistit, magnum detrimentum capit[3]). Propterea Crassum et Caesarem perisse dicit Appianus[4]).

Polybius, cui multa debet Appianus, aliis ne dicam diversis est moribus. Repetere mihi liceat, quae exposuit Markhauserus[5]): „In der Hauptsache ist und bleibt es der Mensch, der aus sich macht, was er ist, und was er wird.“ et alio loco[6]): „Bei Perseus kommt er auf den Punkt, wo ihm der Verstand nicht mehr ausreicht, wo er dann, wie gewöhnlich, zu einer übernatürlichen Verblendung (*δαιμονοβλάβεια*) seine Zuflucht nimmt, so ungern er an dieses Auskunftsmittel in der Erklärung auch gehen mag.“

Iustitia divina in Polybii historia non deest[7]). Deum et fortunam vix disparavit[8]).

Dionysius Halicarnassensis idem putat esse rationem, deum, fatum, necessitatem; quamquam haud raro commemorat numen divinum. Propius accedit ad Appiani sententiam, ubi agit de cura deorum, de iustitia, de pietatis gratia[9]).

Etiam Plutarchus praedicat divinam iustitiam[10]). Culpa deum vacare,[11]) omnia bona hominibus praebere, omnia regere. Omnium malorum auctores esse genios[12]). Itaque similitudo inter Plutarchum et Appianum non deest, sed rerum causas investigare ille diligentius studebat.

---

[1]) cf. Mem. I. c. 4,13. Fabricius l. l. p. 19.
[2]) cf. Mem. VI. c. 4,21. Fabricius l. l. p. 20.
[3]) cf. Fabricius l. l. p. 21. not. 104.
[4]) cf. p. 31. et 47.
[5]) cf. l. l. p. 128.
[6]) cf. l. l. p. 128.
[7]) cf. l. l. p. 116. — [8]) cf. ibid.
[9]) cf. Busse l. l. p. 34.
[10]) cf. Volkmann. l. l. II. p. 285.
[11]) cf. ibid. p. 249.
[12]) cf. ibid. p. 293. sqq.

Caput IV.

De orationibus.

Quo rectius intellegantur, quae de rebus divinis et moralibus in orationibus proferantur, magni interest cognoscere, qua ratione et quo consilio Appianus composuerit: Deposuitne in iis suas aetatisque opiniones, an eorum, quos loquentes fecit, an, quae in fontibus invenisset? Audiamus virorum doctorum iudicia!

Schweighaeuserus haec verba facit[1]): „Orationes eae, quibus hinc inde, non nimis tamen frequenter, Historiam, Appiani ornatam deprehendimus, non tam ex scriptoris ingenio fictae, quam ex earum rerum temporumque, de quibus agitur monumentis ductae sunt.“

Contra Eggerus sic iudicavit[2]): „Quant à leur caractère historique, nous avouerons, qu' Appien est, avec Tite-Live, celui des annalistes de l'antiquité qui semble avoir suivi de plus près dans ses harangues, les textes authentiques.— On ne peut méconnaître, sous le grec d'Appien, quelques traits naïfs de l'éloquence romaine.“

Wijnneus, ubi de ea re agit,[3]) ad hunc pervenit exitum[4]): „Accedunt plures Appiani loci testantes, eum orationes non semper ex ingenio effinxisse, sed saepissime vera dicere studentem materiam e fontibus genuinis repetivisse.“

Idem dicit alio loco[5]): „Quamquam igitur Appianum orationum argumentum plerumque e probatis auctoribus desumsisse puto, eum oratorum more multa de suo addidisse nemo facile negaverit.“

Isdem fere temporibus quid Gerlachus censuerit,[6]) hic proferam: „Nur in den Reden dürfte er nicht immer befriedigen, als welche am wenigsten persönliche Eigenthümlichkeit und zu sehr den Charakter farbloser Redefertigkeit an sich tragen.“

Si verum quaerimus, nemo eorum, quos induxi, aut om-

---

[1]) in Exercitt. p. 78. — [2]) cf. l. l. p. 259.
[3]) cf. l. l. p. 127.—129. — [4]) cf. l. l. p. 128.
[5]) cf. l. l. p. 129.
[6]) cf. l. l. p. 219.

nino erraverit, aut recte putaverit, quod non una ratione, sed tribus rebus orationum compositio notatur: primum Appiani ipsius indole, deinde eius studio temporum morumque eius, quem loquentem facit, describendorum, tertium fontibus, quibus utebatur.

Quantum quidque valuerit et quemadmodum modo hoc modo illud praeponderaverit, certe confirmare iam non possumus. Sed unum constat: Orationes — si, quod nobis proposuimus, id spectamus, — non una cum ceteris historiae partibus tractandas esse. — Obiter hic interponere mihi liceat me laudare neque Gerlachium neque Nissenum[1]) orationes Appiani despicientes.

Dispositionem in orationibus disserendis eandem atque in superioribus capitibus tenebimus. Itaque ordiamur a

deorum nominibus:

Nominum propriorum invenitur Iovis nomen:

in Pu. c. 85: ... *πρὸς Διὸς καὶ θεῶν* ....

in B. C. II. c. 145: ... *ὦ Ζεῦ πάτριε καὶ θεοί*, ...

in B. C. IV. c. 130: ... *Ζεῦ, μὴ λάθοι σε* ....[2])

Semel pronuntiatur Nemeseos nomen: cf. Pu. c. 85: ... *τὴν φοβερωτάτην τοῖς εὐτυχοῦσι Νέμεσιν* ...[3])

Alia nomina propria cum in orationibus non exstent, transeamus ad universas numinis divini significationes:

ὁ θεός

his locis legitur: in Pu. c. 19. dicit Scipio: ... *ἢν ὁ θεὸς δῷ* ...

in B. C. II. c. 141. Brutus: ... *μάρτυρα τὸν θεὸν τῶνδε ποιούμεθα.*

Crebrius est simplex *θεός* verbum. Pontius Samnitium dux negavit se Romanos captos interfecturum esse: cf. Samnit. fr. 4,4.: ... *νέμεσίν τε θεοῦ φυλασσόμενος* ...

---

[1]) cf. l. l. p. 117: „... sie sind, wie zu erwarten stand, äusserst schwach."

[2]) Versus est Euripideae Medeae 332.

[3]) cf. Diod. fr. XXVII, 15: *εὐλαβεῖσθαι χρὴ τὴν τὸν ἀνθρώπινον βίον ἐπισκοποῦσαν νέμεσιν.* Diodori verba pertinent ad bellum Punicum secundum, Appiani ad tertium.

in Hisp. c. 21. haec Scipionis verba referuntur: „*νῦν ὁ καιρός, ὦ ἄνδρες, νῦν ὁ σύμμαχός μοι θεὸς ἀφῖκται* ...

cf. Syr. c. 58: *τί ἂν οὖν βασιλέως ἐν ἀνθρώποις εἴη κρεῖττον ἄλλο θεοῦ*; — In Pu. c. 84. Banno Tigillas, legatorum Carthaginiensium dux, a Romanis clementiam petit: ... *φείσασθε βουλαίας θεοῦ* ... cf. B. C. II. c. 50: ... *δίκην σὺν θεῷ δώσων* ...

cf. B. C. IV. c. 9.[1]): „... *θεοῦ συνεπιλαμβάνοντος* ... *δίκην* ... *διδόντας ὄψεσθε.*

ὁ δαίμων

legimus in Maced. fr. 19: *φθονερὸς γὰρ ὁ δαίμων* ...[2])

Sulla somnium suum interpretatur: *ὅτι αὐτὸν ὁ δαίμων ἤδη καλοίη.* (cf. B. C. I. c. 105.)

Visum a Bruto interrogatum respondit: „*ὁ σὸς ὦ Βροῦτε δαίμων κακός· ὀφθήσομαι δέ σοι καὶ ἐν Φιλίπποις.*" (cf. B. C. IV. c. 134.)[3]).

δαίμων

articulo caret in Pu. c. 27: ... *τίς σε δαίμων ἔβλαψε* ....

Ceteris locis plurali numero Appianus utitur orationum proprio.

cf. Pu. c. 131: „*Ἀσδρούβαν δὲ τόνδε* .... *οἵ τε Καρχηδόνος δαίμονες ἀμύναιντο, καὶ σὺ* (Scipio) *μετὰ τῶν δαιμόνων*"[4]).

Antonius de Caesaris caede dicit: *ἔοικεν, ὦ πολῖται, τὰ γεγενημένα ἀνδρῶν μὲν οὐδενός, ἀλλά του δαιμόνων ἔργα εἶναι* (cf. B. C. II. c. 145.)

τὸ δαιμόνιον

in Bellorum Civilium historia non invenitur.

cf. Pu. c. 51: ... *τάς τε τοῦ δαιμονίου μεταβολὰς* ...

cf. Pu. c. 59: *τὸ δαιμόνιον ἀνώμαλον καὶ ἐπίφθονόν ἐστιν.*

cf. Syr. c. 58: ... *τὸ δαιμόνιον αἰσιώτερα τῷ στρατῷ προσέταξεν.*

---

[1]) Triumvirorum edictum (cf. B. C. IV. c. 8.—11.), quod Appianus solus tradidit, orationis loco habebam.

[2]) cf. Herod. I. c. 32. III. c. 40. — Plutarchus Aemilium Paullum cum alia tum haec loquentem facit: (cf. Aem. P. v. c. 34:) *ἐδεδίειν τὴν μεταβολὴν τοῦ δαίμονος.*

[3]) cf. Plut. Brut. v. c. 36. et Caes. v. c. 69.: *ὁ σὸς, ὦ Βροῦτε, δαίμων κακός.* Itaque eadem verba etiam Appiani auctor habuit.

[4]) Verba a Polybio relata non sunt servata. cf. Fahland l. l. 1867. p. 48.

Maxime mirum est omnibus ceteris historiae Appianeae in partibus semel significari plurali numero

οἱ θεοί

numen divium[1]), si neglegimus eos locos, quibus non Appiani mens patet.

Contra creberrime appellantur dei (*οἱ θεοί, θεοί*) in orationibus.

cf. Sammit. fr. 5.

Pu. c: 27. 50. 51. 57. (duobus locis). 61. 62. 83. 84. (tribus locis). 85. (duobus locis). 131. Maced. fr. 11,8. Syr. c. 58. Mithrid. c. 62.

B. C. II. c. 51. (duobus locis). 134. 141. 145.

B. C. III. c. 17. 37. 38. 65.

B. C. IV. c. 8. 10. 68. (tribus locis). 97. 99. 100. (duobus locis). 118. B. C. V. c. 45.

Agedum contemplemur, quid velint communia deorum nomina et quomodo inter se habeant:

Primum autem notandum est uno oris spiritu, qui orationem habent, modo hoc modo illo nomine deos appellare. Ut Iuppiter et dei una nominantur[2]). Brutus deos vocat: cf. B. C. II. c. 141: . . . *καὶ τοῦτο, ὦ θεοί, συνοικισμὸν ἐκάλουν* . . . Paullo post testem facit deum (*τὸν θεὸν*[3]). Pontius timet dei iram (*νέμεσιν θεοῦ*) cf. Samnit. fr. 4,4[4]). Idem loquitur Samnit. in fr. 4,5: *ἐγὼ δὲ νέμεσίν τε θεῶν αἰδούμενος*. . . .

Bannonis Carthaginiensis oratio apud Romanos habita continetur Pu. c. 84. et 85. Ibi appellantur semel Iuppiter et dei[5]), ter dei soli, semel dei, qui iusiurandum servant, (cf. c. 85: . . . *προφέροντες δ'ὑμῖν ὁρκίους θεοὺς* . . .) eodem enuntiato Nemesis[6]), semel denique dei Carthaginienses: cf. c. 85: . . . *τῶν τε ἄλλων καὶ ὅσοι Καρχηδόνα ἔτι ἔχουσί τε καὶ μή ποτε μνησικακήσαιεν ὑμῖν* . . . .

[1]) cf. p. 23.
[2]) cf. p. 60. — [3]) cf. p. 60.
[4]) cf. p. 60. — [5]) cf. p. 60.
[6]) cf. p. 60.

Vates in oratione apud Seleucum habita dicunt: *ἐδόκει τοῖς θεοῖς* . . . et . . . *θεοῦ*; *ὃς ἐπεκράτησε* . . (cf. Syr. c. 58.)

Pompeius semel vocat deum[1]), bis deos: cf. B. C. II. c. 51: . . . *καὶ τάδε μοι πάντα τοὺς θεοὺς ἐς τὰ παρόντα συννενεγκεῖν εὔχομαι* . . . *θαρρεῖν δὲ χρὴ τοῖς τε θεοῖς* . . .

Triumvirorum edictum haec verba continet: cf. B. C. V. c. 8. . . . *ὑπ' ὄψεσι θεῶν, κατέκανον* . . . et c. 9: *θεοῦ συνεπιλαμβάνοντος* . . . .

Scipio in Syphacem invehitur: *τίς σε δαίμων ἔβλαψε*, . . . *ψεύσασθαι μὲν θεούς, οὓς ὤμοσας, ψεύσασθαι δὲ μετὰ τῶν θεῶν Ῥωμαίους* . . . (cf. Pu. c. 27.)

Hasdrubalis uxoris verba antea attulimus[2]). Ibidem haec verba exstant: *σοὶ μὲν οὐ νέμεσις ἐκ θεῶν, ὦ Ῥωμαῖε* . . .

Antonius Caesaris caedem genio alicui attribuit[3]). Idem vocat Iovem patrium deosque.[4]).

Hasdrubal Haedus apud Romanos orationem habet: cf. Pu c. 50: . . . *ἀλλὰ μάλιστα μὲν θεῶν τις ἔβλαψε* . . . c. 51: *τάς τε τοῦ δαιμονίου μεταβολὰς* . . . et . . . *ἵνα καὶ πρὸς τοὺς θεοὺς ἀναμάρτητα ᾖ τὰ ὑμέτερα ὑμῖν*, . . .

Scipionis amicus, qui in senatu Romano suasit, ne Carthago dirueretur, admonet haec (cf. Pu. c. 57.): *ἐστὶν ἡμῖν ἡ φροντίς*, . . . *περὶ τῆς Ῥωμαίων ἔς τε θεοὺς πίστεως* . . . .
deinde: *καλὸν δ'ἐν τοῖς εὐτυχήμασι νέμεσιν θεῶν φυλάσσεσθαι* . . .
c. 61: *νέμεσίν τε θεῶν φυλασσόμενοι* . . .

Ut summam eorum, quae attulimus, comprehendamus, patet extra orationes eam dictionem praeferri ab Appiano, quae ad unius dei cultum spectet. Accedit, ut magnorum historicorum priorum ratio dicendi multum valeat. Contra in orationibus Appianus respicit et quales viros loquentes faciat et quibus temporibus et apud quos orationes habeantur. Qua de causa vulgaris opinio, quam multitudo per multa saecula tenebat, ex orationibus saepe elucet, ita ut non unum atque incertum numen divinum, sed plures dei appellentur. Neque

[1]) cf. p. 61. — [2]) cf. p. 61.
[3]) cf. p. 61. — [4]) cf. p. 60.

tamen ea nomina, quae ceteris historiae in partibus occurrunt, omnino desunt, cum scriptoris ipsius mentem ac rationem admixtam esse videamus.

Verba θεός et δαίμων sine discrimine interdum usurpantur.[1]) Aliis locis δαίμων idem est atque unius hominis genius. Quamquam non tam Appiani quam auctoris eius hic usus est.[2])

Nunc disputandum est, ex quibus rebus cognoscatur deorum voluntas:

Fabulas antiquas a ratione abhorrere nemo contendere audet. Ne Caesar quidem, quamvis libere cogitaret, dubitabat, quin genere esset divino: cf. B. C. II. c. 68: *ἐκ γὰρ Αἰνείου καὶ Ἴλον τοῦ Αἰνείου τὸ τῶν Ἰουλίων γένος, παρενεχθέντος τοῦ ὀνόματος, ἠγεῖτο εἶναι.* Qua de causa ante pugnam Pharsalicam noctu sacrificans Martem et Venerem vocabat: cf. ibid.: *τὸν Ἄρη κατεκάλει καὶ τὴν ἑαυτοῦ πρόγονον Ἀφροδίτην ... νεών τε αὐτῇ νικηφόρῳ χαριστήριον ἐν Ῥώμῃ ποιήσειν ηὔχετο κατορθώσας.*

Inter omnes, de quibus agitur, constat ex sacrificiis deorum voluntatem cognosci. Senatus et duces populi Romani, cum quid gravius gesturi sunt, hoc modo inquirunt, num per deos liceat.

Omnia eiusmodi diligentissime rettulit Appianus[3]). Pauci sacrificia despexisse feruntur. Crassus tantae impietatis poenas dat.[4]); Alexander et Caesar iniquis signis non territi mortem obeunt.[5]).

Somnia nisi a Caesare[6]) non parvi aestimantur. Octavianus somnio vitam se debuisse ipse confitetur[7]).

Multo gravior est fati notio. Oraculum, quod continetur Syr. c. 63., hic omittamus. Sed memorabilis est ea oratio, quam Pansa consul moriturus apud Octavianum habet, ut cum Antonio reconciliet: cf. B. C. III. c. 76: *ὡς τῇ Καίσαρος φιλίᾳ τόδε χαριστήριον ἔχοντες* (Hirtius et Pansa) *ἀποδοῦναι*

[1]) cf. p. 61. — [2]) cf. p. 61.
[3]) cf. c. I. — [4]) cf. p. 47.
[5]) cf. B. C. II. c. 153. — [6]) cf. p. 34.
[7]) cf. p. 35.

καὶ μόνον τῇ μοίρᾳ χρησιμώτατον ἐσόμενον ἐς τὰ μέλλοντα. Candidus vertit *τῇ μοίρᾳ* „felicitati". Mendelssohnus[1]) adnotat: „felicitati debebat ‚factioni' tuae C. bene". Factionis vim habet *μοῖρα* his locis[2]): in B. C. II. c. 111: *οἵδε μὲν ἄμφω τῆς Πομπηίου γεγονότε* . . . in B. C. III. c. 86: . . . *τῆς μοίρας στρατηγὸν* . . . in B. C. III. c. 91: . . *τῆς ἐναντίας μοίρας* . . . in B. C. IV. c. 132: . . . . *ὄντε τῆς Μάγνου Πομπηίου μοίρας* . .

Etiam illo loco non ineptum est vertere „factioni". Sed etiam „fortuna" intellegi potest. Utut res se habet, fortunae postestatem ex B. C. III. c. 76. cognoscere non possumus.

In eadem oratione confitetur Pansa fato accidisse, ut tantos honores Octavianus nancisceretur . . . *σὺν δαιμονίᾳ μοίρᾳ γενόμενος, ὡς τὰ ἔργα ὑποδείκνυσι* . . . . Etiamsi concedimus *δαιμόνιος* adiectivum per annos attenuatum nihil aliud interdum significare nisi „mirus", non est dubium, quin aliquo modo differat a ceteris eandem vim habentibns. Quidquid enim est *δαιμόνιον*, ideo mirabile est, quod superiore potentia perficitur.

Quod probatur verbo *τὸ δαιμόνιον* i. e. numen divinum. Item *δαιμονία μοῖρα* ea est fortuna, quae superiore potentia i. e. per deum accidat.

Mors vel necessitas nominatur Pansae in oratione etiam *χρεών*: cf: . . . *κἀμὲ τοῦ χρεὼν ἀπάγοντος* . . . Necessitas autem a deo constituta est.

In eodem enuntiato legimus: . . . *ἐν καιρῷ λέλεκται, οὐχ ἵνα μοι γιγνώσκῃς χάριν ἀποθανόντι, ἀλλ' ἵνα* . . . . *τά τε σαυτῷ συμφέροντα γιγνώσκῃς καί τὴν ἐμὴν καὶ Ἱρτίου προαίρεσίν τε καὶ ἀνάγκην.* Recte vertit Schweighaeuserus:[3]) „sed ut . . . . scias, quid tibi sit utile, simulque meum ac Hirtii[4]) cum voluntatem tum necessitatem cognoscas". Neque vero dicit Pansa sublime quoddam obscurumque fatum, sed rerum necessitatem, quod nostra in lingua est „Zwang der Verhältnisse".

[1]) in App. ed. p. 911.
[2]) cf. Zerdik. l. l. p. 36.
[3]) in App. ed. p. 500.
[4]) Vertere debuit Schweighaeuserus, „atque Hirtii."

Verba „*πρὸ τοῦ δέοντος*“ huc non pertinent; vertenda enim sunt „ante rectum tempus“.

Inter orationes copiosissime agitur de fato Syr. c. 58.[1]) Cum enim Seleucus rex Seleuciam condere pararet, regionum finitimarum incolae graviter ferebant rati novo Seleuci oppido servitutem se passuros esse. Itaque vates rem trahere conabantur dictitantes aptum urbi condendae tempus deos nondum indicasse. Sed milites divinitus inspirati sua sponte opus subito coeperant. Vates mendacii convicti et omnia confessi veniam a Seleuco petiverunt. His verbis usi sunt: „*τὴν πεπρωμένην ὦ βασιλεῦ μοῖραν, χείρονά τε καὶ κρείσσονα, οὐκ ἔστιν οὔτε ἀνδρὸς οὔτε πόλεως ἐναλλάξαι. μοῖρα δέ τις καὶ πόλεών ἐστιν ὥσπερ ἀνδρῶν. καὶ τήνδε χρονιωτάτην μὲν ἐδόκει τοῖς θεοῖς γενέσθαι, ἀρχομένην ἐκ τῆσδε τῆς ὥρας ἧς ἐγένετο· δειμαίνοντες δ'ἡμεῖς ὡς ἐπιτείχισμα ἡμῖν ἐσομένην, παρεφέρομεν τὸ πεπρωμένον. τὸ δὲ κρεῖσσον ἦν καὶ μάγων πανουργούντων καὶ βασιλέως ἀγνοοῦντος αὐτό. τοιγάρτοι τὸ δαιμόνιον τὰ αἰσιώτερα τῷ στρατῷ προσέταξεν ... τί ἂν οὖν βασιλέως ἐν ἀνθρώποις εἴη καρτερώτερον ἄλλο θεοῦ; ὃς τῆς σῆς γνώμης ἐπεκράτησε, καὶ ἡγεμόνευσέ σοι τῆς πόλεως ἀντὶ ἡμῶν, δυσμεναίνων ἡμῖν τε καὶ γένει παντὶ τῷ περιοίκῳ ... ἡ μὲν δὴ πόλις σοι γέγονε σὺν τύχῃ ....*

Huius capitis pauca sunt, quae non ad fati potestatem perspiciendam idonea sint. Primum duo nova fortunae nomina exsistunt: *ἡ πεπρωμένη μοῖρα* et *τὸ πεπρωμένον*. Quae extra orationes non inveniuntur. Deinde ineunte capite docemur et hominum et civitatum esse fatum. Quod nullum hominem, nullam civitatem mutare posse sive maius sive minus. A deis autem id regi patet verbis *ἐδόκει τοῖς θεοῖς* et *τὸ δαιμόνιον προσέταξεν* et *τί βασιλέως κρατερώτερον ἄλλο θεοῦ, ὃς ἐπεκράτησε ...*

Eodem capite ducimur ad eam vocem, qua in orationibus quoque fortuna saepissime significatur, ad vocem *τύχη*. Verbis enim *ἡ πόλις σοι γέγονε σὺν τύχῃ* demonstratur casum hic

[1]) c. 56.—64. Appianum imitatum esse Herodotum cognovit Wyttenbachus. (cf. Bibl. crit. III. part. I. p. 25.) — cf. etiam Zerdik. l. l. p. 8.

non cogitari. Immo iis, quae antecedunt, eadem fortunae opinio, quam tota historia Appianus tenet, confirmatur. Intellegenda enim est divina voluntas. Idem probatur B. C. II. c. 51: ... *καὶ εἴ τις ἔστι μοι πολέμων ἐμπειρία καὶ τύχη ἀηττήτῳ μέχρι νῦν γενομένῳ, καὶ τάδε μοι πάντα τοὺς θεοὺς ἐς τὰ παρόντα συνενεγκεῖν εὔχομαι ...*

Ceteris locis non definitur, quantum valeat deorum cōnsilium ad fatum. Sed satis est ubique reiciendam esse casus opinionem et semper bene quadrare ea, quae nobis placuerunt:

In Pu. c. 51. hortatur Hasdrubal Haedus Romanos, ut Carthaginis gloriae pristinae rationem habeant: .... *τῆς Καρχηδονίων ποτὲ τύχης ἄξια πράσσειν ...*[1])

In Pu. c. 57. amicus Scipionis agit de Carthagine: ... *ἣ ... πολλὰ καὶ τύχης καὶ δυνάμεως ἔργα ἐπεδείξατο.*
et cf. Pu. c. 58: ... *οἱ πατέρες ἡμῶν ἐς τόδε τύχης προῆλθον ...*
et Pu. c. 61: *εἰ δ'ἄρα τις ... πιστεύει καὶ τὰ τῆς τύχης αὐτῷ* (Scipioni) *ἐς τέλος ἀπαντήσειν ...*

Banno Tigillas obicit in Pu. c. 85: *προφέροντες δ'ὑμῖν ὁρκίους θεοὺς καὶ τύχην ἀνθρωπείαν καὶ φοβερωτάτην τοῖς εὐτυχοῦσι Νέμεσιν δεόμεθα ...*
cf. Pu. c. 88: *πάθος ἐστὶν ἀνθρώπειον τοῖς μεμνημένοις τῆς ποτὲ τύχης ἐλπίζειν τὴν τύχην ἐπανελεύσεσθαι ...*
cf. Pu. c. 90: *ἐς τοῦτο δ'ἡμῖν* (Carthaginiensibus) *ἀνάγκης ἀφῖκται καὶ τύχης ...*[2])

[1]) cf. Liv. XXX. c. 42: ceterornm ... commemorantium, ex quantis opibus quo reccidissent Carthaginiensium res ...

[2]) Saepius fortuna etiam a Diodoro commemoratur in fragm. XXVII, 13. sq., quae pertinent ad bellum Punicum secundum. cf. XXVII, 15: *Ὅτι ὅσῳ τις εὐροοῦσαν ἔχει τὴν τύχην, τοσούτῳ μᾶλλον εὐλαβεῖσθαι χρή ...*
ibid: *τῆς τύχης ὥσπερ ἐπίτηδες πάντα μετακινούσης. ...*
XXVII, 17: *Ὅτι τὴν διδομένην εὐτυχίαν παρὰ θεοῦ μὴ φέρειν ἀνθρωπίνως πολλῶν κακῶν εἴωθεν αἴτιον γίνεσθαι.* ibid: *Ὅτι τὴν τύχην μὴ φέρουσι καὶ ἄνθρωπον ἱκανὴ πᾶσα πρόφασις ἐπὶ τὸ χεῖρον μεταβαλεῖν.* — ibid: *τὴν τύχην εὐροοῦσαν ...*

Caesar adhortatur milites, ut animis fortibus sint: *τῷ μὲν χειμῶνι τύχην ἀγαθὴν ἀντιτιθέντες* . . . (cf. B. C. II. c. 53.)

Nota sunt eiusdem verba: *Καίσαρα φέρεις καὶ τὴν Καίσαρος τύχην.* (cf. B. C. II. c. 57.)[1])

Pompeium appellat Caesar *τύχῃ τε παραχμάζοντα* . . . . (cf. B. C. II. c. 74.) In triumvirorum edicto legimus: *ἀγαθῇ τύχῃ . . . μηδεὶς δεχέσθω μηδένα.* (cf. B. C. IV. c. 11.)

Aliud edictum incipit: *ἀγαθῇ τύχῃ προειρήσθω.* (cf. B. C. IV. c. 31.)

cf. B. C. IV. c. 50: . . *ἐς τὴν ἀνθρώπειον τύχην ἀφορῶν* . . .

Rhodiorum legatus Cassio dicit: . . . *γένους ἕνεκα* . . . *καὶ τύχης ἐς τὸ νῦν ἀδουλώτου* . . . (cf. B. C. IV. c. 67.)

Lucius Pompeius Octaviano supplicat: *μὴ τοὺς φίλους τίνυσθαι τῆς ἐμῆς ἁμαρτίας καὶ τύχης* . . . (cf. B. C. V. c. 44.)

Si nonnullis locis personae speciem fortuna habere videtur tam debilis est, ut etiam rei alicui tribui possit.

Pluralis numerus exstat in Pu. c. 78: . . . *τῷ μηδὲν ἐς ἄλλας τύχας ἁμαρτεῖν.*

Si denique exemplorum seriem perlustramus, cognoscimus tota Appiani historia eandem esse fortunae opinionem.

Quoniam sic exposuimus, quid sit fatum, proxima parte, quomodo ad vitam humanam valeat, explorabimus, qua parte agemus

de munere dei et rerum humanarum administratione. Ne in orationibus quidem aperte pronuntiatur omnium rerum auctores esse deos. Tamen ampla atque infinita eorum potentia nonnumquam perspicue agnoscitur. Quid enim? Nonne omnia divinitus praeberi credit, quisquis dicit: *ἦν ὁ θεὸς δῷ* . . . (cf. Pu. c. 19.)

Similiter B. C. III. in c. 37: . . . *σὺν θεοῖς εἰπεῖν* . . .

Nonne potentissimi dei intelleguntur in Syr. c. 58: *μοῖρα δέ τις καὶ πόλεών ἐστιν ὥσπερ ἀνδρῶν.*

ibid.: *τί ἂν οὖν βασιλέως ἐν ἀνθρώποις εἴη καρτερώτερον ἄλλο θεοῦ;*

cf. B. C. IV. c. 68: *συμβουλεύω* . . . *θεοὺς ἡγεμόνας ἀεὶ ποιεῖσθαι παντὸς ἔργου.*

[1]) cf. Plut. Caes. v. c. 38: *Καίσαρα φέρεις, καὶ τὴν Καίσαρος τύχην συμπλέουσαν.*

Cultum laesum ulciscuntur dei. cf. Mithrid. c. 62: . . . *οὐδὲ τῶν ἐς τὰ ἱερὰ συμφυγόντων διὰ τοὺς ὑμετέρους θεοὺς ἐφείσασθε. ἐφ' οἷς ἔδοτε μέν τινα καὶ αὐτῷ Μιθριδάτῃ δίκην* . . . .

Imprimis, quod legibus aeternis consulant servandis, timentur et laudantur. (cf. Samnit. fr. 4,4.5.)

Foederis rupti poenas dant Carthaginienses: cf. Pu. c. 60: . . . *μάλιστα μὲν εἰκὸς αὐτοὺς ἤδη σπονδῶν φυλακῆς αἰσθάνεσθαι, πολλὰ ἐκ τῶν παραβάσεων παθόντας, καὶ τὴν εὐσέβειαν ἐς τὸ μέλλον ποιήσεσθαι περὶ πολλοῦ, ἐξ ἀσεβείας ἐς γόνυ πεσόντας.*[1])

Eodem pertinet Pu. c. 62: *ἐγὼ δ' αὐτοὺς ἡγοῦμαι τοὺς θεοὺς ἐς τόδε τὴν Καρχηδόνα περιενεγκεῖν, ἵνα δῶσί ποτε δίκην τῆς ἀσεβείας οἳ* . . . *παράρκουν καὶ δεινὰ καὶ σχέτλια ἔδρων.*

Itaque, quisquis iurat, vocat deos: cf. Pu. c. 83: . . . *πρὸς οὖν θεῶν τῶν τότε ὀμωμοσμένων* . . . .

cf. Pu. c. 85: *προφέροντες δ' ὑμῖν ὁρκίους θεοὺς* . . . .

cf. Maced. fr. 11,8: . . . *θεοὺς οὓς ὠμόσατε αἰδεῖσθαι,* . . .

cf. B. C. II. c. 141: . . . *καὶ μάρτυρα τὸν θεὸν τῶνδε ποιούμεθα* . . .

cf. B. C. IV. c. 68: *θεοὺς δ' ὠμόσατε,* . . .

Sed etiam contraria opinio defenditur. Senator enim Romanus existimat Carthaginienses foedere laeso non ita graviter peccasse. Nam perfidia multos hostes a Romanis victos esse. cf. Pu. c. 58: *ἃ δ' ἐπὶ τοῖς τοιούτοις ποιοῦντες οἱ πατέρες ἡμῶν ἐς τόδε τύχης προῆλθον* . . . .

Irascuntur dei proditoribus. Itaque vocantur ab uxore Hasdrubalis maritum detestante.[2])

Alia quoque flagitia dei ulciscuntur: cf. B. C. II. c. 50: . . . *δίκην σὺν θεῷ δώσων* (Caesar) . . .

et B. C. IV. c. 9: *τοὺς δὲ λοιποὺς θεοῦ συνεπιλαμβάνοντος αὐτίκα δίκην διδόντας ὄψεσθε.*

[1]) cf. Liv. XXX. c. 37: „Postero die revocatis legatis et cum multa castigatione perfidiae monitis, ut tot cladibus edocti tandem deos et iusiurandum esse crederent, conditiones pacis dictae.“ Itaque auctoris Polybii verba sua ratione Appianus adhibuit.

[2]) cf. Pu. c. 131.

et B. C. IV. c. 10: *κἀκεῖνοι μὲν τοσάσδε πολιτῶν μυριάδας ἡμῖν συναπώλλυον, οὔτε θεῶν νέμεσιν οὔτε φθόνον ἀνθρώπων ὑφορώμενοι . . .*

Superbia divinam iram excitari communis est opinio. (cf. Samnit. fr. 4,4.).

Hasdrubal Haedus Romanos hortatur, ut rebus secundis modeste utantur: cf. Pu. c. 51: . . . . *τὴν ἐπ' αὐτοῖς νέμεσιν φυλασσομένους, μετριοπαθῶς χρῆσθαι ταῖς εὐπραξίαις, ...*

Scipionis amicus censet Carthagini esse parcendum: cf. Pu. c. 61: *ἢ τοῦτο μὲν οὐ πράξομεν, νέμεσίν τε θεῶν φυλασσόμενοι . . . ;*

Etiam liberos poena scelerum patriorum consequitur: cf. Pu. c. 85: *μήποτε μνησικακήσαιεν ὑμῖν μηδὲ παισὶν ἡμετέροις . . . .*

Antonius superbiam civibus obicit, nisi graviter consulant in Caesaris interfectores: cf. B. C. II. c. 124: *πόσον δὲ ὑμῖν ἔσεσθαι φθόνον παρά τε ἀνδρῶν καὶ θεῶν, ἐννβρίζουσιν . . .*

Sed ut supplicia relinquamus, et bona et mala a deis praebentur: cf. B. C. III. c. 65: . . . *ἢν οἱ θεοὶ παρέχωσιν εὐπραγεῖν, ...*

Quosdam homines continua felicitate uti rursus occurrit. Ut Scipionis[1]) et Caesaris[2]) facta plerumque praeclarissima admirationem movent. Pompeius ante pugnam Pharsalicam gloriatur se numquam esse victum. (cf. B. C. II. c. 51.)[3]) Inter gentes excellunt Carthaginienses, qui praedicant per multos annos omnia se bene gessisse: cf. Pu. c. 51., ubi Hasdrubal Haedus Romanos adhortatur: *τῆς Καρχηδονίων ποτὲ τύχης ἄξια πράσσειν.* cf. etiam Pu. c. 57. et 88.

Si singula spectamus, victoriam praebere dei putantur. Itaque Scipio clamat: *νῦν ὁ σύμμαχός μοι θεὸς ἀφῖκται.* (cf. Hisp. c. 21.)

Urbibus condendis praesunt: Carthago eorum auspiciis orta est: cf. Pu. c. 84: . . *πόλεως . . . χρησμοῖς μετὰ θεῶν*

[1]) cf. Hisp. c. 23. — [2]) cf. p. 42.
[3]) cf. p. 67.

συνῳκισμένης. . . . Maximo documento est Seleucia urbs. (cf. Syr. c. 58.)

In miseriam homines deorum voluntate incidere inter omnes constat. Sed, qui loquuntur, calamitatem, quam adversarii patiuntur, iustam esse poenam confirmant, ipsorum malevolentia quadam divina accidisse. Alterum supra disseruimus, alterum proxima disputationis parte exponemus, quae est

de iustitia deorum.

Iustos se praestant dei, cum nefaria ulciscuntur. Deinde virtutem praemiis meritis ornant. Scipio dicit audacia et felicitate Romanos hostibus praestare: cf. Pu. c. 19: . . . *τόλμῃ δὲ καὶ εὐτυχίᾳ προύχομεν.* — Pompeius et belli peritia et fortuna victorem fuisse profitetur[1]). — Antonius pietate deorum favorem se nacturum esse sperat: cf. B. C. III. c. 38: *ἀλλὰ ῥᾷν θεοῖς τε πατρῴοις καὶ σὺν εὐσεβεῖ γνώμῃ καὶ σὺν ταῖς ὑμετέραις ἀνδραγαθίαις, μεθ' ὧν καὶ ὁ Καῖσαρ ἐκράτει, ἀμυνοῦμεν . . .*

Itaque deis confidere homines decet: cf. B. C. II. c. 51: *θαρρεῖν δὲ χρὴ τοῖς θεοῖς . . .*

Quae fiducia, simulac mala accesserunt, facile concutitur. Nam natura hominum fit, ut se ipsos peccasse negent. Potius igitur deo vel fortunae miseriam opprobrio iniuria dant: Carthaginienses perfidiae insimulati concesserunt; sed divinitus perturbatos esse suos animos: cf. Pu. c. 50: *ἀλλὰ μάλιστα μὲν θεῶν τις ἔβλαψε, . . .*

Brutus versu Homerico usus fortunae tribuit, quae ipse peccavit: cf. B. C. IV. c. 134: „*ἀλλά με μοῖρ' ὀλοὴ καὶ Λητοῦς ἔκτανεν υἱός*“[2]).

Huc pertinet deorum invidia. Gravissima autem est Aemilii Paulli oratio habita, cum duobus filiis privatus Romanos sic fere alloqueretur: Magnis victoriis ab hostibus reportatis iamdudum se timuisse, ne quid detrimenti exercitus caperet. Servato exercitu de ipso populo Romano se timuisse. Invidiosum enim esse deum: cf. Maced. fr. 19: *φθονερὸς γὰρ*

[1]) cf. p. 67.
[2]) cf. Hom. Iliad. XVI. v. 849.

ὁ δαίμων. Sed cum duos filios dei sibi eripuissent, ipsum se esse tristem, de populo iam nihil timere.[1])

Iniustos deos Paullus non appellat, sed metuit, ne nimis extenderint potentiam suam Romani plurimis urbibus expugnatis et amplis regionibus vastatis et subactis. Timet denique, si verum quaerimus, ne superbos se praebuerint Romani. Iustitiae igitur divinae non obtrectat.

Quae in Pu. c. 57. legimus, non aliter intellegenda sunt: *καλὸν δ'ἐν τοῖς εὐτυχήμασι νέμεσιν φυλάσσεσθαι* . . . i. e. periculum est, ne homines secundis rebus superbi deis invisi fiant. cf. etiam Pu. c. 59: *χαλεπώτερον δ'οὐδὲν ἀφειδίας ἐν μάχαις, ἐν αἷς καὶ τὸ δαιμόνιον ἀνώμαλον καὶ ἐπίφθονόν ἐστιν.* i. e.: Valde caveant victores, ne crudeliter se gerant. Quod si faciunt, vertitur deorum favor (*ἀνώμαλον*) ita, ut irascantur (*ἐπίφθονον*).

Quae cum ita sint, pluribus verbis non opus est, ut recte cognoscamus Pu. c. 85: . . . *τὴν φοβερωτάτην τοῖς εὐτυχοῦσι Νέμεσιν*, . . .

---

[1]) Livius (cf. XLV. c. 41.) invidiam divinam non commemorat. Quae Plutarchus tradidit, si contulerimus, inveniemus fere eadem atque Appianum eum narrare, sed illum suo consilio composuisse:

Plut. Aem. P. v. c. 36: *Μιᾷ μὲν γὰρ (εἰπεν) ἡμέρᾳ τὸν Ἰόνιον ἀπὸ Βρεντεσίου περάσας εἰς Κέρκυραν κατήχθην· πεμπταῖος δ' ἐκεῖθεν ἐν Δελφοῖς τῷ θεῷ θύσας, ἑτέραις αὖθις αὖ πέντε τὴν δύναμιν ἐν Μακεδονίᾳ παρέλαβον, ... ἐν ἡμέραις ἄλλαις πεντεκαίδεκα τὸ κάλλιστον ἐπέθηκα τῷ πολέμῳ τέλος. . . . . ἐδεδίειν τὴν μεταβολὴν τοῦ δαίμονος, ἐπ' εὐτυχίᾳ τοσοῦτον στρατὸν νενικηκότα . . . . .*

App. Mac. fr. 19: *εἰπεν ἐς μὲν Κέρκυραν ἐκ Βρεντεσίου διαπλεῦσαι μιᾶς ἡμέρας,*

ἐκ δὲ Κερκύρας πέντε μὲν ἐς Δελφοὺς ὁδεῦσαι καὶ θῦσαι τῷ θεῷ, πέντε δὲ ἄλλαις ἐς Θεσσαλίαν παραγενέσθαι καὶ παραλαβεῖν τὸν στρατόν, ἀπὸ δὲ ταύτης πεντεκαίδεκα ἄλλαις ἐλεῖν Περσέα καὶ Μακεδόνας παραλαβεῖν. οὕτω δὲ ὀξέως ἁπάντων ἐπιτυχῶν δεῖσαι μή τι τῷ στρατῷ συμπέσοι . . .

Quae sequuntur, Plutarchus copiosius explicuit. Sententia est similis, verba omnino alia atque Appiani.

Itaque nemo non concesserit utriusque auctorem fuisse Polybium. Sed Appianus orationem sic finxit, ut Herodoti dictio animo obversaretur.

Diodorus dicit haec: (cf. XXXI, 11.) *θαυμάζειν . . . . καθ' ὅσον ἡ τύχη τὴν παλίρροιαν καὶ τὸν φθόνον . . . . εἰς τὸν ἴδιον ἐκείνου βίον ἀπέσκηψεν.*

Restant duo exempla: cf. Pu. c. 27: *τίς σε* (Syphacem) *δαίμων ἔβλαψε* . . . et B. C. II. c. 145.[1]) Utroque loco non dei cogitantur, sed genii mali, quales ex antiquissimis temporibus ad Graecorum animos multum valuerint.

Quid igitur ex omnibus exemplis concludere licet? Si sunt, qui iniustitiam et crudelitatem deis obiciant, iniuria eos facere patet, minimeque assentitur eis Appianus. Ceterum iustitia divina etiam in orationibus semper tenetur. *θεοβλάβεια* autem verbum in iis non invenitur.

Res humanas caducas esse plures confitentur: cf. Pu. c. 59: . . . *ὑμᾶς ἀξιῶ φείσασθαι* . . . *διὰ τὴν τῶν ἀνθρωπείων μεταβολὴν* . . .

Quod Scipionis considerationem contemplationemque fragilitatis humanae toto fere capite (Pu. c. 132.) Appianus describit, ipsum similia sensisse non negaverimus, quamquam, quae Polybius tradidit, fere repetit.

Lepidus fortunae mobilitate movetur: cf. B. C. IV. c. 50: . . . *ἐς τὴν ἀνθρώπειον τύχην ἀφορῶν* . . .

---

[1]) cf. p. 61.

Vita.

Natus sum Georgius Kramer patre Ernesto, matre Paulina e gente Heinrich. Fidem confiteor evangelicam. Primis litteris imbutus gymnasium adii Ioanneum urbis Vratislaviae. Testimonio maturitatis instructus autumno anni MDCCCLXXXIIII inter almae Viadrinae cives receptus sum. Deinde per novem semestria scholiis interfui V. V. inl. B. Erdmann, Freudenthal, Hertz, Hirt, E. Meyer, Partsch, Reifferscheid, A. Rossbach, O. Rossbach, Schaefer, Studemund, Weinhold, Wissowa atque exercitationum archaeolegicarum et seminarii philologici regii particeps factus ex benignissima V. V. inl. Hertz, Rossbach, Studemund doctrina magnum fructum cepi. Quibus omnibus optime de me meritis gratias ago. Maxime autem obligatus sum Augusto Rossbach, qui in hac commentatione conscribenda consiliis et doctrina sua me adiuvit.

Sententiae Controversae.

1. Appianum historicum iudico dignum, qui in scholis tractetur.
2. Hor. Ep. I, 6., v. 51. „trans pondera“ verba etiam sic interpretari licet: „ultra auctoritatem cuiuslibet obviam euntis.
3. Val. Max. V., II. (de gratis) in § 1. pro „patriae conantem“ legendum est „patriae nocentem“.
4. Stat. Silv. II., 6. in v. 3. pro „a[c]cedere“ legendum est „decedere“.
5. Stat. Silv. II, 6. in v. 70. pro „carmen“ legendum est „germen“.